



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica**

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu  
transnaturali

**Lynch, Richard**

**Lvgdvni, 1654**

Tractatvs IV. De prædicamento quantitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

ter materia perficitur, eius non formas, sed terminos intrinsecos appeller.

24

Hactenus explicuimus, quid Auctores communiter de substantia sentiant, nostramque etiam de ea sententiam in Physica traditam recolimus, quam si quis amplecti recuset, ac distinctionem naturæ à substantia indistinctionem totius à partibus reuocare nolit, poterit is substantiam in actione creatura rei collocare, præsertim cum personalitates diuinæ in originibus, siue actionibus ad intra proculdubio consistant. Animaduertendum tamen primum est, actionem creaturam non cuiuscunque termini, sed solius substantiæ completæ substantiam, siue supposititalitatem dicendam esse: quocirca actio creatura accidentis, aut etiam animi rationalis erit substantia, & non supposititalitas, aut personalitas: actio vero creatura substantiæ completæ irrationalis erit substantia, & supposititalitas, non vero personalitas: ac tandem actio creatura substantiæ completæ rationalis erit substantia, supposititalitas, ac personalitas. Animaduertendum est secundò, substantiam dicendam esse actionem creaturam, quæ sit productiua rei, non solum independentem à subiecto causalitatis materialis, in quo intrinsecè recipiatur, verumetiam independentem à subiecto totalitatis, siue à composito; quod intrinsecè constituitur, & in quo intrinsecè perficiatur: quapropter natura humana Christi, siue eius corpus, & anima propria substantia non subsistunt, quia Christum intrinsecè componunt, & in eo intrinsecè perficiuntur: Verbum autem è contrà non obstante vnione hypostatica, & ante illam per se subsistit: quia licet Christum intrinsecè componat, ea tamen compositione minimè perficitur: eius enim infinitas perfectionis accessionem sustinet. Animaduertendum est tertio, substantiam non esse creationem actiuam in volitione Dei efficaci sitam: tum, quia aliàs non solum humanitas Christi, verumetiam quæuis alia natura per aliquid quoniam subsisteret: tum etiam, quia aliàs per denominationem extrinsecam homines essemus: sola ergo creatio passiuæ termino intrinseca, eique superaddita naturam subsistentem, ac personatam denominabit. Ne vero in negationes Scoticas, quibus expediti sumus, iterum impediatur, cauendum vltimò est, actionem creaturam intrinsecè, & essentialiter talem esse, nec extrinsecè tantum ac vi alicuius negationis adiunctæ ab actione generatiua differre: quod tamen alibi à me impugnatum sit, si tamen substantia substantia singularis completa esse nequeat, facta quidem hac hypothesi, verissimum est; illudque libertas forsan actioni liberæ essentialis, & necessitas explicandæ substantiæ apprimè persuadeat. Postquam hanc meam de identitate substantiæ creatæ cum actione creatura sententiam meditatus essem, prodit statim in lucem eximium opus Sapientissimi Patris Bernardi de mysterio Incarnationis: vbi disputatione 12. sectione 1. §. 2. & 3. collocat etiam in actione creatura substantiam. Quamuis autem, paulò aliter ac ipse, creationem, & eius à substantia indistinctionem explicet; ac bene est, quod in principali puncto opinionis ambo, & quidem re inuicem non communicata, conuenerimus.



## TRACTATUS IV.

### *De predicamento quantitatis.*

#### CAPVT I.

#### *Aliorum de conceptu quantitatis sententia premittuntur.*

**Q**UOPLVRES Thomistæ cum B. Thomæ opusc. 52. tuentur, essentiam quantitatis consistere in eo, quòd sit mensura: immeritò tamen, quia cum definitur ab iis quantitas mensura, vel sensus est, esse mensuram alterius quantitatis, vel esse mensuram substantiæ, seu materiæ, cui iuxta hos auctores quantitas inhæret: at in vtroque sensu definitio est falsa, aut certe parum idonea: in primo quidem, quia nulla res commodè definitur per ordinem ad aliud eiusdem rationis: quanquam enim homo sit generatius alterius hominis, ineptè tamen per eam potentiam definiretur, nec nisi per respectum ad connotata diuersæ rationis, ac speciei, sentiones videlicet, ac discursus aptè, & ad rem accommodatè definitur in hunc modum, homo est animal rationale. Cuius ratio à priori est, quia nec directè, nec indirectè definitum ingredi potest definitio rem; aliàs hæc illo clarior, ac dilucidior non esset. Secundus etiam sensus haud magis quadrat, quia quantitas non mensurat, nec facit innotescere perfectionem materiæ secundum se: materia enim maioris, aut minoris perfectionis eidem quantitati indifferenter subesse potest; haud secus ac è contrario quantitas perfectior, vel imperfectior, aliæve formæ inæquales eidem materiæ inesse possunt: quantæ ergo perfectionis sit materia ex quantitate, cui subest, venari non possumus. Quod si asseras, quantitatem esse mensuram materiæ, non quod eius perfectionem, sed quod eius molem, & magnitudinem innotescere faciat, id quidem nihil dictu est: quia in mole, & magnitudine materiæ eius quantitas quidditatiuè clauditur: quare per quantitatem innotescere magnitudinem materiæ, non est, materiam secundum se, & penes suam substantiam, sed ipsam quantitatem per seipsam innotescere, sui que ipsius mensuram esse; quo iam nec sententia, nec posterior eius sensus defenditur, sed potius deferitur.

Alij Thomistæ cum Capreolo in 2. dist. 3. artic. 1. & 3. ac Soncinæ 5. metaphys. quæst. 19. tuentur, quantitatem esse, quæ materiæ à se realiter distinctæ partes integrales tribuit, quæve efficit, vt partes materiæ in potentia tantum distinctæ actu distinguantur. Verum in primis hæc quantitas vnitur realiter materiæ A & non materiæ B ergo pro priori naturæ ad eam vnionem datur hæc, & illa materia: aliàs hæc potius, quàm illa eius vnionis terminus esse non posset. ergo materia antecedenter ad quantitatem, & independentem ab illa veram aliquam distinctionem partium sibi vendicat. Rursus, materia distinguitur realiter à quantitate: at non per aliquid ab vtraque distinctum realiter: ergo etiam vna pars materiæ ab alia realiter distingui poterit, & non per quantitatem vtrique realiter superadditam. Consequentia videntur sine discrimine. Antecedens est aduersariorum, & vel ex eo constat: quia aliàs sequeretur processus in infinitum, vt sæpè in simili probatum manet. Nec valet, si in hunc modum argu-

mentum infles : hæc consequentia nulla est , vniõ vnitur materiæ , & non per aliquid ab vtraque distinctum : ergo etiam materia , & forma aliqua absoluta seipfis præcisè vniri poterunt : ergo similiter consequentia nostri argumenti nulla erit. Hæc , inquam , instantia nullius momenti est : ideo namque materia , & forma alio à se distincto indigent , vt vniantur , secus vero ipsa vnio , & materia : quia priora illa extrema , non verò hæc posteriora , indifferentia sunt ad hoc , vt vniantur , vel non vniantur : at partes materiæ non magis indifferentes sunt , vt distinguantur , vel non distinguantur , quàm materia , & quantitas : cur ergo , vt distinguantur partes materiæ , alio distincto , & superaddito opus sit magis , quàm vt materia , & quantitas distinguantur. Latius impugnari posset hæc sententia , sed quia impendio demolienda non sunt , quæ per se labascunt , aliis impugnationibus superfedeo.

3 Alij Thomistarum cum B. Thoma in 1. distinct. 19. quæst. 1. art. 5. necnon aliqui Scotistæ cum Scoto hic quæst. 17. tuerentur , essentiam quantitatis esse , vt materiam à se distinctam in partes eiusdem rationis diuisibilem reddat. Verùm hæc definitio quantitatis aliis à definito conuenit : siquidem si materia sine quantitate diuinitus conseruaretur , ita conseruata in partes eiusdem rationis dissecari posset : etenim eius partes in eo euentu distinctæ realiter essent : cur ergo non separabiles , ac diuiduæ ? & tamen quanta non esset : aliquid ergo non quantum in partes eiusdem rationis diuisibile est. Aliqui aduersarij respondent , materiam sine quantitate nec diuinitus conseruari posse : immerito tamen : quia multò magis dependet quantitas à materia , quàm materia à quantitate : at quantitas conseruari potest absque materia , vt constat ex mysterio Eucharistiæ : ergo à fortiori materia absque quantitate. Respondent alij secundo , materiam quantitate denudatam non fore diuisibilem ab vilo agente naturali : quia , cum partes eius essent tunc penetrabiles cum alterius cuiuscunque corporis partibus , sanè harum interiectione separari , ac inuicem dimoueri non possent : quòd autem materia prima sine quantitate à Deo miraculosè diuidi possit , parum aut nihil interest , cum hic non creatoris potentia , sed creaturarum natura in examen reuocetur. Verùm in primis materia à quantitate denudata , tametsi interiectione partium alterius corporis diuidua non esset , impulsu tamen , aut attractione diuidi posset ; idque naturaliter & secluso miraculo. Deinde , si essentia quantitatis est reddere materiam indiuisibilem interiectione partium alterius corporis , cum hæc diuisibilitas in impenetrabilitate materiæ fundetur ; sanè impenetrabilitas ipsa erit effectus formalis primarius quantitatis , quod & falsum omnino est , vt illico ostenditur : & iuxta illud quantitas in sententia , quam impugnamus , non per rationem primariam , sed per secundariam definitur , vel potius describitur.

4 Quarrò alij sentiunt , quantitatem esse accidens quoddam absolutum , quod postulat , vt vna pars materiæ cum aliis in eodem loco non penetretur ; vel certò esse ipsam materiam , prout naturaliter impenetrabilis est , partisque extra partes in ordine ad locum necessariò sortitur. Ita P. Suarez disp. 40. metaphys. sect. 6. num. 15. Collegium Conimbricense 1. part. Logicæ in cap. 6. de quant. quæst. 1. art. 2. Hurtadus disp. 13. metaphys. sect. 4. Arriaga disp. 15. metaphys. sect. 1. Hæc sententia , quæ inualuit inter recentiores nostri temporis , haudquaquam tamen placere nobis potest. Atque in primis quantitas discreta , qualis est numerus , & oratio , vera quantitas est , & sub præ-

dicamento quantitatis collocatur : at impenetrabilis non est , cum plures numeri inuicem penetrantur , numeri nimirum Angelorum , necnon numeri formarum accidentalium eidem subiecto inhærentium , aliique innumeri : plures etiam orationes penetrabiles sunt , videlicet vocalis , & mentalis , pluresque mentales simul editæ ; & quod caput est , nec numerus , nec oratio faciunt partes materiæ impenetrabiles , vt omnes fatentur : ergo quantitas non est , per quam materia redditur impenetrabilis , nec vllatenus in impenetrabilitate consistit. Maior argumenti , in qua tora difficultas esse potest , est B. Thomæ 1. part. quæstione 1. art. 1. & 2. Scoti 5. metaphys. quæst. 9. Auicennæ 5. metaphys. cap. 4. Capreoli in 1. dist. 24. quæst. 1. conclus. 5. Hentici 1. part. summæ artic. 29. quæst. 7. Soncinatis , Caietani , & Soti in Logica Argentina in 1. distinct. 24. quæst. 1. Patris Vasquez tomo 3. in 3. part. disputatione 190. cap. 4. vbi id ipsum plerosque scholasticos antiquos censuisse existimat. Eadem maior est Aristotelis cap. de quantitate ibi : *Quantum autem partim est continuum ; partim discretum , & partim ex habentibus positionem partibus , partim ex non habentibus constat , atque discretum est , vt numerus , atque oratio.* Aristoteli consentit Augustinus lib. de quantitate animæ c. 32. ibi : *De numero vero animarum nescio quid tibi respondeam , cum hoc ad istam quæstionem pertinere putaueris : citius enim dixerim non esse omnino querendum , aut certè tibi nunc differendam quam vel numerum , vel multitudinem non pertinere ad quantitatem.* Idem habet in lib. de categoriis cap. 10. ibi : *Quantorum est & alia differentia , nam ex iis alia sunt , quorum partes positionem habent , ex qua cognosci possit , quæ pars cuique iungatur : alia vero sunt , quorum partes positionem habere non possunt , & paucis intercis , sunt vero , quorum partes positionem non habent tempus , numerus , & oratio ; ne vero improprie quantitatem accepisse videretur , concludit ibi : proprie ergo sola , quæ dicta sunt , quanta nominantur.*

5 Impugnatur secundo eadem sententia , hunc in modum : corpora gloriosa verè quanta sunt , eademque , qua antea quantitate in eo etiam statu afficiuntur : at impenetrabilia non sunt , sed potius inuicem absque vilo impedimento penetrari possunt : ergo impenetrabilitas non est effectus formalis primarius quantitatis. Maior omnibus Theologis explorata est , nec nisi temerè negari potest. Minor etiam perspicua est : siquidem donum subtilitatis in ea penetrabilitate corporum gloriosorum consistit , vt modò supponendum magis , quàm probandum est. Dico , corpora gloriosa supernaturaliter , & miraculosè penetrabilia esse ; cæterum naturaliter esse impenetrabilia , eo quod accidens illud absolutum , quo afficiuntur , & quod quantitas appellatur , suapte natura postulat , ne inuicem penetrantur ; effectum autem formalem quantitatis esse impenetrabilitatem non qualemcunque , sed eam solam , quæ naturalis , & non miraculosa sit. Contra tamen : quia si effectus formalis quantitatis est , reddere materiam impenetrabilem ; & effectus doni subtilitatis est , eam reddere penetrabilem ; alterumque accidens penetrationem , alterum verò impenetrationem postulat : ergo ambo impossibilia natura sua sunt : ac proinde vbi semel corpus gloriosum dono subtilitatis afficitur , statim quantitas ei adimi debet : longè potiori iure quàm habitus fidei in altera vita deperditur , statim ac intellectus credentis illustratur lumine gloria , & non in speculo , & ænigmate , sed facie ad faciem Deum contuetur. Hoc argumentum confici etiam potest in corpore Christi , quod quantum proculdubio est ,

est, & tamen cum quantitate Eucharistica, & reliquis speciebus penetratur.

6 Huic sententiae nuper impugnatae affinis est alia sententia, quae tenet effectum formalem quantitatis esse extensionem ordinatam partium, qua videlicet una pars alteri immediate, & haec alij, & sic de reliquis serie quadam uniuntur, non vero quaelibet cui-libet promiscue, & nullo seruatō ordine. Ita Albertinus tom. 2. corol. de praedicamento quantitatis cum aliis, quos ipse laudat. Ceterum haec sententia iisdem impugnationibus, quibus superior, obnoxia est: & rursus eo nomine displicet, quod gradus intensio-nis ita instituti sint, ut vnus alteri tantum, & non omnibus vnatur: primus videlicet secundo, & hic tertio, & tertius quarto, &c. unde gradus intensio-nis tenorem quandam partium, earumque vnionem ordi-natam sibi vendicant: eos quantos non esse, praefertim si de accidentibus spiritualibus sermo sit, ipsi aduersarij fatentur.

C A P V T II.

Nostra sententia proponitur.

7 **E**ffectus formalis primarius quantitatis, eiusque vera definitio est extensio entitativa partium: qua videlicet partes eius quod quantum dicitur, aliae extra, aliae entitativae sunt: id est, aliae in aliis per identitatem minime sunt, sed potius invicem distinguuntur. Porro autem distinctio realis, aut extensio entitativa plurium rerum, si sumatur in actu secundo, praedicamentum relationis, non vero quantitatis est: quid enim esse potest, vnum realiter distingui ab alio, quam vnum referri praedicamentaliter ad aliud, ut infra tract. 6. ostendemus? Distinctio ergo, aut extensio realis, & entitativa in actu primo; aut, quod perinde est, extrinseca distinctio realis, quatenus eam fundant, praedicamentum quantitatis constituunt. Quocirca duo illa praedicamenta valde affinia sunt, cum enim vnum consideratur, ut realiter distinctum ab alio, & ad illud praedicamentaliter relatum, tunc praedicamentum relationis existit: cum vero vnum consideratur, ut realiter distinguibile ab alio, & ad illud praedicamentaliter referibile per similitudinem, aut dissimilitudinem; aequalitatem, aut inaequalitatem, aliove modo, tunc praedicamentum quantitatis intelligitur. Ita B. Thomas 1. part. q. 50. art. 2. Scotus in 4. distinctione 10. quaest. 1. artic. 2. Antonius Andreas 5. metaphys. quaestione 10. Niphus disputatione 9. Durandus in 1. distinct. 34. quaest. 1. Venetus 12. metaphys. facultas Louanensis, Argentinas, & ne multis morer, antiquorum plerique, ni fallor, hanc sententiam tuerentur.

8 Quam suadeo primo auctoritate Aristotelis lib. 5. metaphys. cap. 13. ibi: *Quantum est quod est diuisibile in ea, quae insunt: quorum vtrumque, vel vnumquodque, & hoc aliquid aptum est esse.* Ex quibus verbis sic argumentor: diuisibilitas, in qua ratio, & quidditas quantitatis sita est, haudquaquam est distinctio partium materiae ab accidente aliquo in se suscepto proveniens: rursusque esse nequit distinctio vnionis partium eiusdem rationis, dissolutio, inquam, illa in actu primo, siue possibili fieri: quorum alterum, & alterum capite praecedenti ostensum est: igitur eiusmodi diuisibilitas, in qua Philosophus quantitatem collocat, est distinguibilitas, ut ita loquar, siue extrema realiter distinguibilia, quaeque entitativae extendi queant: in hac enim optime quadrat, quod *vtrumque, vel vnumquodque eorum vnum*

*quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Secundo eandem sententiam suadeo: quaecunque aequalia, aut inaequalia cum alijs esse possunt, eo ipso quanta sunt: at quae entitativae extensa sunt, & distinctionis realis extrema esse possunt, eo ipso aequalitatem, aut inaequalitatem subire possunt: igitur eo ipso quanta erunt: ac proinde quantitas in eiusmodi extensione consistit. Minor probatur: quae entitativae extensa sunt, & extrema realis distinctionis esse queunt, eo ipso numerum, aut magnitudinem constituunt: at omnis numerus, ac magnitudo alteri aequalis, aut inaequalis esse possunt: ergo quae entitativae extensa, ac realiter distinguibilia sunt, aequalitatem, aut inaequalitatem subire possunt. Maior autem argumenti, praeterquam quod seipsa manifesta sit, probatur ex Aristotele cap. de quantitate ibi: proprium autem quantitatis est aequalitas, & inaequalitas; maxime ut hoc aequale, vel inaequale vnumquodque eorum, quae rationem quantitatis subeunt, dicatur, ut corpus aequale, ac inaequale, & numerus, & tempus aequale, inaequale similiter dicitur: & de ceteris, quae iam dicta sunt, simili modo: reliqua vero, quae non sunt quanta, non omnino aequalia, vel inaequalia videbuntur. Id ipsum docet Augustinus de categoriis cap. 10. ibi: proprium vero quanti, & quod in omni, & in solo inuenitur, illud est, ut omnia eius paria, aut impatia dicantur. Tertio constat veritas nostrae sententiae ex aliarum impugnatione, necnon ex solutione argumentorum.

9 Quorum primum sit, quantitas discreta, numerus videlicet, & oratio proprie quantitas non est: at iuxta nostram sententiam proprie quantitas foret: ergo, &c. Maior est Alberti metaph. lib. 8. tract. 1. cap. 8. & Aureoli, Ochami, Gregorij, & Marsilij, quos sequitur Fonseca 5. metaphys. cap. 13. quaest. 4. & Conimbri-censes cap. 6. de quantitate quaest. 2. art. 2. & hac ratione suadet: solum ens reale per se in decem praedicamenta dissecatur, nihilque in praedicamento esse potest, quod non sit ens reale per se: sed quantitas discreta, numerus, verbi gratia, ens reale per se neutriquam est: igitur in praedicamento quantitatis esse non poterit, siue, quod recidit in idem, quantitas proprie esse non poterit. Maior perspicua videtur. Minor suadet: tum quia ex duobus entibus completis non resultat vnum ens per se: at numerus interdum entia completa complectitur, ut si plures Angeli, aut homines in numerum redigantur: tum etiam, quia quae proprie non uniuntur, vnum per se constituere nequeunt: at partes numeri proprie non uniuntur, quatenus partes numeri sunt: quod respexit Aristoteles, cum numerum, siue quantitatem discretam definiuit: cuius partes non copulantur termino communi. Pro argumenti solutione supponendum est, ens reale abstrahi posse ab ente per se, & per accidens; cum haec minus inter se differant, quam ens reale, & ens rationis, a quibus tamen vniam communem rationem entis abstrahi posse infra lib. 5. tract. 2. ostendam. Deinde supponendum est, ens reale, prout abstrahit ab ente per se, & ente per accidens, esse quod dissecatur in decem praedicamenta, saltem metaphysice sumpta: illud namque ens in decem praedicamenta dissecatur, quod de singulis praedicamentis dici nequit: siquidem relatio praedicamentalis similitudinis, exempli gratia, non est ens reale per se, nec hoc de ea dicitur, potiusque est ens per accidens, quod in aggregato fundamenti, & termini consistit. Pari ratione habitus, nempe hominem esse armatum, non est ens per se, sed potius ens per accidens de illo dicitur. Quibus constitutis respondeo, negata maiori superioris

superioris argumenti, quam falsam esse ex dictis hoc numero perspicuum est.

- 10 Secundo, obiici potest contra nostram sententiam: quia iuxta eam res spirituales verà quantitate præditæ essent: at res spirituales minimè quantæ sunt: ergo, &c. Maior suadet: quia res spirituales extensionem entitativam habent, qua aliæ extra alias per veram distinctionem realem sunt. Minor vero suadet: quia ex communi omnium consensu certum videtur, quantitatem solius corporis proprietatem esse, & in spiritum convenire non posse: id quod de anima, ac per consequens de quocunque spiritu docuisse videtur Augustinus lib. de quantitate animæ cap. 3. ibi: *Quamobrem quanta sit anima secundum inquisitionem hanc tibi respondere non possum, sed possum affirmare, nec illam longam esse, nec latam, nec rotundam, neque aliquid horum, quæ in mensuris corporum quari solent: & inferius cap. 14. ibi: Frustra igitur, ut opinor, quantitatem animi, quæ nulla est, invenire laboramus.* Respondeo, quantitatem bifariam sumi posse. Primò, pro quantitate molis, siue tumoris: qua videlicet substantia aliqua partes extra partes in ordine ad locum habet, & in longum, latum, atque profundum extenditur. Secundò, pro quavis alia quantitate siue loci, aut vocationis; siue temporis, aut durationis; siue virtutis, aut perfectionis, siue numeri; aut alia quacunque. Quantitatem igitur in solo priori sensu, non verò in posteriori animæ denegat Augustinus eo libro de quant. animæ: ut constat, tum ex eius verbis adductis: tum ex discursu totius libri illius: tum etiam ex illis eius verbis capite 13. ibi: *Vide interim, utrum confectum sit carere animam illa omni quantitate, de qua nunc questio est.* Dum demum ex iis, quæ ex ipso produximus supra cap. præcedenti, ubi perspicuè quantitatem discretam animabus tribuit.

### C A P V T III.

#### *An quantitas distinguatur à re quanta.*

- 11 **Q**uantitatem realiter indistinctam esse à re quanta tenent plerique Nominales, quorum catalogum habes apud Patrem Suarez disp. 40. metaphys. sectione 2. numero 2. ex nostris etiam idem tueretur P. Rodericus disp. 5. metaphys. sect. 1. subsect. 1. & cum eo non pauci, nec ignobiles recentiores: quæ sententia mihi etiam magis arridet. Probatur primò ad homines contra eos Thomistas, qui essentiam quantitatis in ratione mensuræ collocant: siquidem id quod quantum est, esse mensuram alterius, siue regulam, per quam, quantum aliud sit, dignosci poterit, ab eo, quod mensura, vel regula est, neutiquam distinguitur: tum, quia infinita Dei perfectio est mensura omnis perfectionis creatæ, quantumque creaturæ ad perfectionem Dei accedunt, vel ab ea recedunt, tantundem perfectæ, vel imperfectæ censentur, iuxta communem præcensionem: *Primum in unoquoque est mensura cæterorum*: at ratio mensuræ accedens à Deo distinctum, eique realiter superadditum dici nequit. Tum etiam, quia ratio mensuræ passivæ, qua cognosci potest, quantum sit aliquid per aliud, ab eo, quod ita cognoscibile est, & mensuram subit, realiter non distinguitur, ut supra ostendimus, cum de veritate, ac cognoscibilitate entis ageremus: ergo similiter ratio mensuræ activæ, qua aliquid cognosci facit quantitatem alterius ab eo, quod mensurat, non distinguitur. Quod si propterea sentiant Thomistæ, partes quantitatis esse eas tri-

buere materiæ, satis superque impugnati manent cap. 1. huius tract. ut enim ex ibi dictis constat, materia per seipsam partes actu distinctas habet: per seipsam igitur quanta erit.

12 Secundo probatur nostra sententia ad homines, contra eos Auctores, iuxta quos munus quantitatis est efficere, ut materia sit divisibilis in partes eiusdem rationis: partes aliquas coalescere posse per unionem integram in totum homogeneum, & eiusdem rationis non distinguitur realiter à toto, & ipsis partibus: ergo etiam totum aliquid divisibile esse in partes eiusdem rationis à toto, aut partibus non distinguitur: ergo si quantitas in ea divisibilitate sita est, pro eo ac adversarij arbitrantur, à re quanta, & indivisibili indistincta erit. Ambæ consequentiæ manifestiores sunt, quàm ut negari nequeant, vel ut probari egeant. Antecedens etiam manifestum est: siquidem partes aliquas coalescere posse per unionem continuativam in totum homogeneum, est eas esse unibiles, siue continuabiles, duas, verbi gratia, aquæ guttas, non est accidens aliquod absolutum, quod talem continuationem postulet, ut compertum est: sed ab ipsis partibus, vel nullo modo distinguitur; si quod probabilius est, una pars compositi dicit relationem transcendentalem ad aliam; aut certè ab iis realiter adæquatè non distinguitur, si una pars compositi ad aliam dicit relationem non transcendentalem, sed partim extrinsecam, partim intrinsecam, aut eam, quæ inuoluat essentiam unius partis in recto, in obliquo vero possibilitatem alterius, per cuius unionem continuativam prior compleri possit, & petat.

13 Tertiò probatur nostra sententia ad homines, contra eos recentiores, qui munus quantitatis statuunt esse efficere, ut materia prima habeat partes extra partes in ordine ad locum; siue, quod perinde est, partes impenetrabiles: siquidem duo Angeli naturaliter sunt penetrabiles in eodem loco: at non per accidens aliquod absolutum, quod eos penetrari præniè postulet: cum eos penetrari posse subtilissima, ac spiritualis utriusque natura, & nihil aliud esse possit, ut vel ipsi adversarij fatebuntur: igitur è contrario partes materiæ esse inuicem impenetrabiles, ab ipsis partium naturis indistinctum est. Idem argumentum confici potest in materia, & forma substantiali, in forma substantiali, & forma accidentali; in natura, & substantia: quorum conceptuum penetrabilitas ab accidenti aliquo præniè non oritur: igitur etiam impenetrabilitas partium materiæ ab eo non orietur: nec video, cur ad impenetrationem, quæ mera negatio est, plura quàm ad positivam penetrationem requiri debeant. Rursus, sicut partes materiæ penetrari, aut coexistere nequeunt in eodem loco; ita assensus, & dissensus, verbi gratia, coexistere, aut penetrari nequeunt in eodem tempore: cumque alter in intellectu existit, tum alterum in eo non existere necesse est: at hæc posterior impenetrabilitas in ordine ad tempus ab ipsa entitate assensus, & dissensus minimè distinguitur: sublato enim quovis superaddito impossibiles, ac proinde in eodem spatio temporis impenetrabiles erunt: ergo etiam illa prior impenetrabilitas partium materiæ ab ipsa partium entitate non distinguitur. Hoc eodem argumento in amore, & odio, in duabus formis substantialibus, aliisque similibus rebus uti quivis poterit.

14 Præterea materiam primam palmarem, verbi gratia, habere necessario partes extra partes, siue impenetrabiles, est eam habere necessario vocationem extensam in ordine ad locum unius palmi: at materiam primam

primam habere necessario vicationem ita extensam, non prouenit ei ab aliquo accidenti superaddito, quod eam vicationem præuic postulet: haud aliter ac materiam primam necessario habere durationem extensam in ordine ad tale tempus, videlicet in ordine ad totam æternitatem à parte post, non oritur ab aliquo accidenti, quod materiam ita durare præuic exigat, sed in ipsam materiam, quæ suapte natura æterna, & incorruptibilis est, ea necessitas vnice reuocari debet. Vtremque quemadmodum materia habet partes actu impenetratas, aliasque extra mutuum aliarum situm; siue, quod æquipollet, vicationem circumscriptiuam, quæ partes eius partibus loci coaptantur, non singulæ omnibus, sed singulæ singulis; ita animus rationalis, aut Angelus habet vicationem definitiuam, qua totus in toto spatia loci, ac totus in qualibet eius parte sit absque proportionem, siue coaptatione proximè insinuatà: at Angelus, aut animus habet vicationem definitiuam, quin præuic aliquod accidens eam exigat, aut producat, ut omnes fatentur: ergo etiam materia habere poterit vicationem circumscriptiuam, quam præuic quantitas non exposcat.

- 15 Quarta probatur nostra sententia contra eos, qui tenent, quantitatem suapte natura exigere, & inferre vnionem ordinatam partium materia: nam sicut gradus intentionis independenter ab aliquo accidenti præuic ordinatè vniri postulant: & sicut etiam natura, & substantia; materia, & forma essentialiter vniri postulant absque alicuius accidentis præuic exigentia; ita similiter in præsentia, &c. Tandem nostra sententia ex nostris principiis probatur: quantitas nihil aliud est, quam extensio entitatiua plurium rerum: quæ videlicet inuicem distingui, aliæve extra alias entitatiuè esse possunt: at posse res aliquas distingui, & quod plus est, ipsum actu distingui ab iis non distinguitur.

## CAPVT IV.

## Argumenta contraria soluuntur.

- 16 Quantitas à re quanta distingui realiter, eique tanquam accidens absolutum superaddi tuentur Suarez vbi supra, & quos ibi memorat, quorum argumenta mihi soluenda sunt. Arguunt igitur primo auctoritate Aristotelis 7. metaphys. text. 8. ibi: *Longitudo, latitudo, ac profunditas quantitates quedam, sed non substantia: quantitas enim non est substantia, sed magis cui hæc primò insunt.* Arguunt secundo: quantitas molis non est idem cum sola materia prima: siquidem tamen materialis, & quantitatiua est forma equi, ac eius materia: vnde non est, cur potius identificetur quantitas cum materia, quam cum forma equi. Rursus quantitas non identificatur cum sola forma: tum ob rationem nunc insinuatam: tum etiam, quia in homine est forma substantialis, quæ cum spiritualis sit, mole quanta esse nequit, & multò minus eam quantitatem per identitatem includere. Præterea quantitas non identificatur cum toto composito: cum enim compositum substantiale humanum animam rationalem quantitatis expertem includat, sanè quantitas cum illo composito, ac proinde cum nullo alio poterit identificari. Arguunt tertio: nulla substantia creata est, quæ se ab intrinseco per aliqua accidentia non perficiat, id est quæ accidentia sibi intrinseca non efficiat, ut inducenti constabit: igitur materia prima, quæ substantia proculdubio est, aliquam proprietatem in se

immanenter producit: at ea alia esse nequit, quam quantitas: siquidem eius viciatio ab intrinseco non est, cum materia non nisi à sua forma, aut aliena moueatur: eius etiam duratio ab extrinseco est, alioqui si ab intrinseco esset, materia seipsam conseruaret, ac semetipsa prior natura esset. Arguunt quarto: lapis, v. g. non nisi per grauitatem à se distinctam fortitur vicationem infernam, qua sit in centro: pari ergo ratione materia non nisi per quantitatem à se distinctam, fortitur vicationem circumscriptiuam, qua partes eius impenetratæ sint.

Arguunt quintò ex mysterio Eucharistiæ: accidentia illa, quæ in hostia consecrata cernuntur, videlicet candor, grauitas, lenor, frigiditas, aliæque eiusmodi subiectum aliquod commune, cui insunt, sibi vendicant: at non substantiam panis, cum nihil huius post consecrationem super sit: ergo solam quantitatem panis: ac per consequens hæc à substantia distinguitur, & separatur. Maior suadetur: quia aliàs omnia illa accidentia sine subiecto essent. Rursus cum hostia alteratur de nouo per calorem, aut frigiditatem, quod sæpissimè accidit, toties aer ambiens frigidus, aut calidus crearet: quod tamen genus operandi supra vires cuiuscunque agentis naturalis est: vel certe, quod non minùs mirandum est, toties aer eiusmodi quantumuis calidus, aut frigidus ab hostia sibi approximata calefacienda, aut frige facienda abstergeret: iique effectus ad eius præsentiam producti soli Deo tribuerentur: at hoc quid aliud est, quam miracula incastrum, & sine vrgenti necessitate multiplicare? quæ tamen in opposita sententia longè pauciora sunt: siquidem iuxta illam non omnia accidentia Eucharistica sine subiecto subsistunt, sed vnum duntaxat, cui reliqua insunt: & cum hostia consecrata extrinsecus alteratur, & frigore, aut calore afficitur, hæc qualitates non à solo Deo, sed ab agente etiam creato, non tamen creante, sed dependenter à quantitate generante producuntur. Tandem arguunt, & superius argumentum corroborant: cum Christus Dominus definit esse sub speciebus, & accidentibus panis, eiusmodi accidentia destruuntur: at non propterea id euenit, quia Deus ea supernaturaliter destruit: quis enim dicat, miraculum esse, quod hostia consecrata in stomacho Sacerdotis corrumpatur; & non magis miraculum, si Deus hostiam illam consecratam in stomacho Sacerdotis perpetuo conseruaret: igitur ea accidentia Eucharistica destruuntur naturaliter, videlicet ob exigentiam naturalem aliorum accidentium contrariorum superuenientium, quæ cum illis pugnant: cum ergo pugna naturalis duarum formarum esse nequeat, nisi propter aliquod commune subiectum, quod alia afficit, alia verò efficere conatur; reliquum est, ut accidentia Eucharistica subiectum aliquod commune, cui insunt, sibi vendicent: quod cum substantia panis esse nequeat, eius quantitas esse debet.

Hæc huius sententiæ argumenta, quibus sigillatim respondendum nobis est. Ad primum ab auctoritate desumptum respondeo: duplex est quantitas materia: prima, alia substantialis ab ipsa materia realiter indistincta, alia accidentaria; videlicet eius longitudo, latitudo, ac profunditas, siue, quod perinde est, ea viciatio circumscriptiuam, quæ in longum, latum, & profundum extenditur: priorem quantitatem à materia distingui nequaquam asserit Aristoteles: posteriorem verò solam à materia distinctam esse statuit, ut ex verborum contextu liquet. Ad secundum argumentum respondeo, eo tantum concludi, nec materiam esse quantam per formam, nec hanc per materiam: hoc autem verissimum esse concedo: non tamen

tamen eo, quod materia, & forma sit quanta per accidens aliquod absolutum ab utraque realiter distinctum; sed potius eo, quod alterutra per seipsam substantialiter quanta sit. Quocirca quantitas molis non una, sed multiplex est: alia, quae in materia: alia, quae in forma: alia vero, quae in accidentibus vel suapte natura, vel munere unionis cum subiecto extenso inuicem impenetrabilibus sita sit. Ad tertium argumentum respondeo, materiam primam in primis efficere posse durationem suam, & per eam intrinsecè se complere: hinc autem duntaxat infertur, materiam inadæquatè tantum se conseruare inadæquatione se tenente non ex parte causæ, sed ex parte effectus: quod genus causalitatis non repugnare lib. 5. Physicæ tract. 4. cap. 2. statuimus. Dicitur etiam potest, materiam primam esse causam inadæquatam suæ vibrationis: cum enim forma lapidis, eius materiam in centrum rapit, eamque in infimum locum deprimit; cur ipsa materia quantumuis ad illam vibrationem, vel ad aliam quamuis indifferens sit, atque adeo à forma determinari indigeat, cum forma tamen efficienter ad hanc vibrationem præ alia non concurrat? haud aliter ac intellectum determinatum specie cum ea efficere intellectionem; & habitum à libero arbitrio determinatum, cum eo etiam efficienter concurrere communiùs Philosophi tuerentur. Ad quartum argumentum respondeo, grauitatem, ac leuitatem à re graui, & leui minime distinguendum idque in Physica lib. 8. tract. 1. cap. 7. satis à me probatum esse.

19 Ad quintum argumentum respondeo, miracula quidem multiplicari in Eucharistiæ mysterio, ubi semel quantitas panis ab eo non distinguatur: at non sine vrgenti necessitate, vt ex argumentis, quæ confecta sunt cap. præcedenti, liquido constat. Ad sextum argumentum respondeo, destrui quidem naturaliter accidentia Eucharistica in stomacho Sacerdotis, non tamen ob exigentiam caloris interni, aliorumque accidentium contrariorum: quemadmodum enim si Deus produceret gratiam in eodem loco cum voluntate peccatoris absque vlla vniione physica, cum non iustificaret, nec peccati labem ab eo auerteret; ita similiter in præsentia accidentia à stomacho producta in eodem loco existunt, quo species sacramentales harum corruptionem exigere, aut postulare nequibunt: naturaliter ergo corrumpuntur à Deo accidentia Eucharistica per solam cessationem maximi illius miraculi, quo antea absque subiecto conseruabantur: quod autem non destruantur, nisi cum accidentia contraria denuo producantur, non arguit ad horum exigentiam respicere, sed potius ad tanti mysterij occultationem attendere: vt videlicet meritum nostrum augeatur, & quantum sensus nostri deficiunt, alterum tantum fides nostra inualescat.

20 Hic disputari posset, an qualitates in materia, vel potius in quantitate recipiantur; & rursus, an quantitas non minùs materiæ quàm formæ substantiali ei vnita debita ex æquo in utraque, an verò in sola materia recipiatur? Cæterum hæc quæstiones cum distinctionem quantitatis à materia nuper reiectam supponant, & in nostris principiis locum non habeant, omittendas potius eas esse, quàm cum præiudicio aliarum quæstionum tractandas arbitror.

## CAPUT V.

## Explicantur species quadam quantitatis.

Quantitas, alia est continua, alia discreta: continua quintuplex est videlicet linea, superficies, corpus, locus, motus, & tempus: discreta est duplex, nimirum numerus, & oratio. Quantitatis continuæ quatuor primæ species, sunt permanentes: duplex autem, quæ sequitur, est successiua: quantitatis discretæ prior species est permanens, & posterior fluxa, & successioni obnoxia. Esse autem quantitatem continuam, est eius partes copulari ad aliquem terminum communem; discretam vero, eas eiusmodi termino communi destrui, ac potius separatas esse: subtiliter enim & verè Beatus Damascenus capite tertio Dialect. *Numerus quinque, & quinque non habent communem terminum copulantes ipsos: si enim des aliquid intermedium, quinque, & quinque, sunt undecim, & non decem.* Rursus quantitatem aliquam esse permanentem, est eius partes simul esse; successiuam vero, illas se inuicem excipere, aliisque aduenientibus, alias illico abire.

Porro linea est longitudo latitudinis expertis: superficies, longitudo, ac latitudo profunditatis nescia: corpus longitudo, latitudo; ac profunditas. Vel aliter: linea est magnitudo ad vnum, siue vnus dimensionis: superficies magnitudo ad duo, siue duplicis dimensionis: corpus magnitudo ad tria, siue trinæ dimensionis. Vel aliter: magnitudo diuisibilis, & extensa à puncto ad punctum est linea: diuisibilis autem à linea ad lineam est superficies: diuisibilis vero à superficie ad superficiem est corpus. Vel denique, si singas punctum fluere, eius vestigium erit linea; si lineam, hæc superficiem fluxu suo describit, sin autem superficiem ipsam, vestigium ab ea relictum erit corpus. Ita Aristoteles in Logica capite de quantis, & 5. metaphys. capite decimotertio, & 1. de anima capite quarto, & ante eum Plato, & post vtrumque cæteri hactenus philosophi punctum autem quauis versus indiuisibile, & inextensum haud est quantitas, tametsi ad eam reducatur, propterea quod eius partes sit interiecta, illasque mira quadam variegatione distinguat, vt ostensum in Physica: ubi etiam, quo pacto sit communis terminus, in quo vniuntur partes lineæ: necnon, quatenus hæc vniat partes superficiei; & hæc corporis: quod enim immediate, plerisque infedit; esto probabilius, quod tantum mediatè.

23 Circa corpus dubitari solet, num illud solum sit directè in prædicamento quantitatis, an verò linea quoque & superficies? Sotus & alij has ab eo directè excludunt, nec, nisi ad illud quodammodo reduci permittant: quoniam in prædicamento esse nequit, nisi quod est in suo genere completum, vt patet ex eo Hemistichio *finita, realia, tota*: linea autem, & superficies in genere quantitatis sunt entia incompleta: quando namque essentia quantitatis posita est in extensione entitativa, aut diuisibilitate partium, id erit completa, ac perfecta quantitas, quod fuerit perfectè, & completè partibile: eiusmodi autem est solum corpus, quippe extensum, ac partibile versus longum, latum, & profundum; secus verò linea, & superficies, quarum neutra partes extra partes habet quauis versus, sed altera versus longum, & altera versus longum, latumque duntaxat. Rursus: sicut punctum suapte natura destinatur ad vniendas lineæ partes, ita etiam linea ad complendam, integrandam

integrandamque superficiem, & hæc ad complementum, & integritatem corporis : quemadmodum ergo materia, & forma sunt substantiæ incompletæ, quia instituuntur ad componendum totum substantiale, siue substantiam totalem, pari ratione linea, & superficies erunt quantitates incompletæ, quoniam institutæ ad componendam quantitatem aliam se perfectiorem: quo fit, ut in prædicamento haudquaquam possint directe locari.

24 Magis ramen probo contrariam sententiam, quæ est Aristotelis, Soanij, Auerfæ, ac ferme omnium scholasticorum. Siquidem in primis ens aliquod esse completum fortassis est conditio tantum requisita, ut substantia aliqua sit in prædicamento, homo, v.g. magis, quam eius anima, aut corpus, pes, aut brachium, secus vero, ut aliquod accidens sit in eo : nam albedo non est adeo completa, atque album, quod constituit, cum tamen non minus, quam illud, imò iuxta plures magis sit in prædicamento qualitatibus : quamvis ergo linea, aut superficies sit incompleta quantitas, id non proderit ad eas à genere quantitatis abigendas. Deinde prædicamentum metaphysicè sumptum admittit entia incompleta, tamen physicè sumptum ea respuat; erunt ergo linea, & superficies in prædicamento quantitatis, saltem metaphysicè usurpato. Ad hæc tam linea, quam superficies habent partes verè, ac propriè divisibiles, quamvis non tot, quot corpus : alterutra ergo integram essentiam quantitatis, id est, divisibilitatem partium fortietur, ac proinde erit completa quantitas, huiusque prædicamenti, de quo quæstio, ut ut nihil non completum possit in eo reperiri. Atque hinc constat ad primam rationem contrariam.

25 Ad secundam dicendum est; materiam etiam, & formam esse in prædicamento substantiæ secundum metaphysicam eius considerationem. Deinde id discriminis est inter accidens, & substantiam, quod cum accidens omne suapte natura sit incompletum, ac nunquam possit esse simpliciter, & absolute completum, quia semper alicuius substantiæ perfectio, satis sit illud in aliquo genere, & secundum quid esse completum, ut sit in prædicamento, licet nulla huius in physicum, & metaphysicum admittatur partitio, atque hoc gratis concedatur aduersariis: quamobrem, linea, & superficies prædicamentum quantitatis ingrediuntur propter id, quod alterutra in suo genere est completa; ut ut spectata alia quantitate perfectiori ad quam, velut partes, aut compages reducuntur, neutra non sit incompleta. Cæterum substantia completa absolute, ac simpliciter esse potest, eiusque modi est homo, verbi gratia, equus, lignum, &c. quocirca non satis erit materiam, & formam esse in suo genere completas, ac participare integram essentiam, ac definitionem substantiæ, ut in eius prædicamento sedem habeant, defectu videlicet absolute complementi, cuius est capax substantia, ut dictum.

26 Quod ad locum attinet; eum esse veram speciem quantitatis teneant plerique Platoniorum apud simplic. 4. physicorum in sua digress. de loco textu 49. Galenus apud Themistium 4. physic. textu 36. Philoponus 4. physic. in digressionem de loco, Tolerus, Sotus, & alij non pauci. Contra verò id negant B. Thom. Commentator, Suarez, Fonseca, & Conimbricenses, Aristoteles, iam his, iam illis videtur fauere alibi, & alibi: illis quidem 4. physicorum cap. 4. & in prædicam. cap. 6. his verò 5. metaph. c. 13. ubi recensens species quantitatis continuæ, locum prætermittit. Verum, & philosophus sibi inter ipsi facile conciliari potest, & supradicti auctores

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

inuicem, hoc solo animaduerso, locum bifariam sumi posse.

27 Primò, prout habet extensionem quandam partium rei locatæ partibus respondentem: quot enim partes fortitur homo, v.g. totidem vendicat eius ubi, & locus, siue intrinsecus, atque cum eo penetratus, siue extrinsecus, & eum superficie sua ambiens vndique, & vndique: secundò, prout facit rem esse hic, & non alibi, eamque alicubi immobiliter affigit: priori ergo intellectu locus pertinet ad prædicamentum quantitatis, posteriori verò ad prædicamentum ubi. Quamvis autem in vicatione extensa, & diuisibili, & quod sit partibilis, & quod rem alicubi constituat, haud sint denominationes realiter distinctæ, cum eiusmodi vbitas, ac locus non nisi per partes suas locandi præstet officium, cæterum virtualiter, & per intellectum in ea distinguuntur; quandoquidem in puncto indiuisibili vbitatis, locive posterior denominatio visitur, & non prior; quæ autem in aliquo realiter separantur, ac distinguuntur, ea, sicubi sunt inseparata, sicubi in idem concurrunt, necesse est ibi ratione distingui: quo pacto cognitio, & volitio in nobis realiter separata, ac distincta non sine distinctione rationis inveniuntur in Deo optimo maximo: hæc autem distinctio rationis satis est, ut locus ad diuersa prædicamenta attineat, & modò dicatur quantitas, modò vbitatio.

28 Atque ex his constat, ubi siue locum non esse speciem quantitatis adæquatè distinctam à triplici superius explicata: nam si sit diuisibilis in longum tantum, est linea quædam: si in latum, longumque, superficies: si autem in profundum, altumve, est corpus quoddam, non metaphysicum, seu compositum ex materia, & forma substantiali; non physicum, ipsave materia prima formæ subiecta, se mathematicum. Est ergo locus species subalterna, ac subiecta alicui earum trium, quæ circumferri communiter assolent.

29 At inquires: substantia, verbi gratia, ligni partibus constat extensis, & diuisis, eius itidem qualitas se habet pari modo: actio quoque, prout eius terminus est multiplex, & partibilis, suas habet partes, quarum alia per veram distinctionem sunt extra alias: id ipsum etiam visitur in habitu, situque: quorsum ergo hæc omnia similiter non numerat Aristoteles inter species quantitatis, quibus haud dubie subalternantur, non minus, quam locus? Sed responsio est ad manum; quantitatem videlicet partium cuiusque rei colligi solere ex loco sensibili, quem occupat, eiusque magnitudine, aut exiguitate: quamobrem magis esse, ut locus triplicis quantitatis continuæ speciebus subalternatus velut talis eis superaddatur, atque in diuisione quantitatis cum illis exprimat, quam aliud vllum prædicamentum, quantumvis extensione, ac partitione præditum. Adde, antiquos quosdam philosophos in ea fuisse sententia, ut putarent, interuallum illud, quod est inter aulam, verbi gratia, alicuius parietes, esse veram quantitatem, & nequiquam realem lineam, superficiem, aut corpus, sed trium dimensionum harum capacitatem quandam susceptiuam; iuxta quorum opinionem vulgo rudi, atque imperito iam tum persuasam fortasse locutus est Aristoteles, locum inter species quantitatis enumerans, relictis, aliis prædicamentis, quæ ad quantitatem reduci possunt, eique sunt subalternata.

30 Quod spectat ad motum, sunt, qui eum propriè sumptum, & ut cōtinuum, ac successiuum esse veram quantitatis speciem, peculiaremque, & à cæteris distinctam censent

consent, quos inter præcipuè Albert. tr. de quant. c. 8. Burleus in eodem prædicam. Commentator 5. met. text. 8. Scotus & Antonius Andreas, alique eius asseclæ: ex nostris Fonseca, Molina, Gilius, Conimbr. ac Bartholomeus Amicus in phys. tract. 23. q. 1. dub. 1. & nouissimè Balthasar Tellez disp. 60. metaph. sect. 2. concl. 1. Contra verò motum haud esse veram quantitatem, tenent Porphyrius, Ammonius, ac B. Thom. & cum eo Caiet. Iauellus, Soncinas Sotus, & eiusdem factionis alij: quibus adde Louanenses, & ex nostris Cardinalem Toletum in Logica cap. de quant. q. 2. Suarez in metaph. disp. 40. sect. 8. Rubium de prædicam. quantitatis q. 7. num. 23. & 8. & Pererium lib. 13. physic. controuers. cap. 1.

31 Sed componi facile potest his ista, & si velint, eam qui mouent hunc in modum. Motus, prout est ab vno in aliud, pertinet ad prædicamentum actionis: prout in aliquo ab alio, ad genus passionis: quatenus actus entis in potentia ut in potentia, siue fluxus quidam, isque continuus, ad prædicamentum temporis, siue quando: quatenus denique partes habet distinctas, quæ ita fluant, & sibi continuò succedant, ad genus quantitatis: quocirca est vera species quantitatis continuæ, & à cæteris distincta, aut realiter adæquatè, aut inadæquatè saltem: quantitatis quidem, propter distinctionem partium: continua; propter earum vnionem: adæquatè distincta à linea, superficie, corpore, & loco: nihil enim horum non est permanens: ac motus successionem inuoluit; ergo ab eis realiter adæquatè distinguitur, qua ratione distingui censetur homo à sua duratione, quoniam hæc est successiua, & ille permanens, ac stabilis aliquandiu: inadæquatè verò distincta à tempore, siue duratione, quoniam actio, & passio sunt realiter adæquatè distinctæ à temporis intervallo; nam in paruo tempore multæ possunt esse actiones, passionisque, ut cum celeriter exercentur; & in multo pauca, si quando contingat eas esse lentas, tardasve: motus autem illas includit: ergo præter durationem, siue tempus, aliud quidpiam realiter adæquatè distinctum, quod intelligi nequit absque motus, & temporis inadæquata distinctione; quemadmodum fieri non potest, quin homo sit realiter inadæquatè distinctus ab anima, hoc ipso, quod corpus ab ea adæquatè distinctum importeret. Atque hoc fortasse tantum volunt auctores priori loco memorati. Cæterum ex dictis abundè liquet, motum haud esse speciem quantitatis à cæteris omnibus supra recensitis adæquatè distinctam, cum tempus, seu durationem includat, nec nisi hoc forsitan volunt multi eorum, quos posteriori loco memorauimus.

32 Tempus quoque, quinto loco inter species quantitatis continuæ, prout abstrahitur à permanenti, & successiua, & secundò, prout est successionis obnoxia, memoratam, esse propriè quantitatem, nec fusè tantum in hoc esse predicamento, tenent Cardinalis Toletus in Logica de quantitate q. 2. Vallius ibidem q. 4. cap. 4. Rubius q. 5. n. 7. ad finem, Fonseca 5. met. cap. 13. q. 10. sect. 2. Bartholomeus Amicus in physica tract. 22. q. 1. dub. 1. Balthasar Tellez in metaph. disp. 60. sect. 2. concl. 2. Molina 1. p. q. 10. art. 1. disp. 10. & præter nostros, Commentator Iauellus, Flandria, Sotus & alij non pauci. Contra verò id negant, Caietanus cap. de quantitate, Soncinas 5. metaphys. quæstione 24. Araujo etiam 5. metaphys. quæstione 3. articulo 1. Ioannes à S. Thoma 2. part. Logicæ quæstione 16. articulo 3. §. Dico ergo primò; & communiter cæteri Thomistæ: quibus adde ex nostris Gilium lib. 2. tract. 10. capite 4. num. 3. Hurtadum disputatione 13. metaphys. sectione 6. numero 43. Pererium libro 12. physic. capite 1. Vaquez 1. part. quæstione 10. dispu-

ratione 34. cap. 2. & Suarez. disput. 40. metaphys. sect. 9. num. 8.

33 Sed distinguendum est: nam, si consideretur tempus, prout facit rem aliquando existere, ita spectat ad prædicamentum durationis, siue quando: sin autem, prout habet partes inuicem distinctas, ad quantitatem: successiuam quidem, propterea quod eiusmodi partes sint impenetratæ, & non simul, siue in eodem nunc, ut sic dicam: continuam verò, quia vniuntur inuicem. Illud tamen non probo, quod docent Burleus, & Vallius; tempus dici lineam, eo, quod sit longitudo quædam successiua, ac versùs vnā tantum dimensionem siue ab instanti ad instans diuisibilis, & extensa: siquidem linea est notio quantitatis permanentis, ut benè animaduertit Aueris q. 18. Logicæ sect. 5. §. at verò utque Aristoteles, & communiter cæteri Peripatetici supponunt, quos apud nihil frequentius diuisione quantitatis permanentis in lineam, superficiem, & corpus. Non me latet tempus à poetis dici circulum, orbem, gyrumque: Sic eorum Princeps Georgic. 2.

*Redit agricolis labor actus in orbem,*

*Atque in se sua per vestigia voluitur annus.*

Et Eneid. 3.

*Interea magnum sol circum voluitur annum*

Sic Ouid. Fastorum 1. de die comitiali, & nundinali

*Est quoque, quo populum ius est includere septis*

*Est quoque, qui nono semper ab orbe redit*

Id est à nona luce, nono circulo diurno

Sic Claudianus lib. 2. de Stilicone

*Est ignota procul, nostræque imperia menti*

*Vix ademda Deis annorum squalida mater*

*Immensi spelunca cui: quæ tempora vasto*

*Suppeditat reuocatque sinu: complectitur antrum*

*Omnia, qui placido consumit numine serpens,*

*Perpetuumque vires squamis caudamque reducto*

*Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu*

Vbi alludit ad symbolum, siue hieroglyphicum anni, quod apud Phænices, aliasque gentes erat serpens in orbem obliquatus, & caudam habens reflexam in os, & hoc in illam inferunt.

Sic etiam Seneca in Hercule furente

*Vinit læti, properat cursu*

*Vita citato: volucrisque die*

*Rota præcipitis vertitur anni*

Sic Pontanus præfatis suppar poetis

*Et cadit infelix ano variabilis annus*

*Ipse tamen redit in gyrum viresque resumit*

*Impiger aeterno semper remeabilis ortu*

34 Quin etiam inter auctores orationis prosæ is loquendi modus est valdè familiaris. Vnus sufficiat Hieronymus ad Oceanum: *Quarta* (inquiens) *æstatis circulus* voluitur, ex quo ad Heliodorum Episcopum Nepotiani scribens epitaphium quicquid habere potui virum in illo tunc dolore consumpsi. Huc facit ipsius anni seu etymologia, ac deriuatio, seu aliud à se nomen deriuandi vis, & energia: nam annus, ut vult Seruius dicitur ab annulo, vel ut mauult noster, Cerda, annulus contra ab anno: utcumque autem sit, annum certè dicendum esse circularem, & annuli more circumflexum apparere. Eodem etiam facit motum à scholasticis nostris communiter diuidi in circularem, & rectum: quidni ergo tempus dici possit circulare, tamen successiuum, non minus, quam motus, præsertim cum definiri soleat numerus motus secundum prius, & posterius?

Ex his ergo sic arguat non nemo: non magis significat quantitatem permanentem lineam, quam circulus, orbis, gyros, & alia eiusmodi: hæc autem ita eam significant, ut etiam accommodari possint soleantque quantitati

quantitati successiva, seu tempori: ergo, & linea similiter. Rursus Mathematici omnes definiunt, circulum esse figuram planam unâ tantum lineâ contentam, in cuius medio punctus est, à quo omnes lineæ ad circumferentiam sunt æquales: sed tempus est circulus, ut visum: ergo, & linea quædam.

- 36 Propter hæc probabile arbitror, tempus reduci ad lineam. Sed tamen probabilius contrarium supra constitutum: loquutiones autem adductæ sunt improprie, & ad metaphysicum ac scholasticum rigorem nequaquam exigendæ: occasionem eis præbuit temporis respectus ad spatij permanentis circulum, namque tempus apud auctores superius citatos, aliosque passim supponit pro eo, quod peragitur conversione cælorum: hos autem liquet conuertere per spatium circulare, ac rotundum: mirum ergo non est, quod per denominationem ab eo translata motus ipsi cælestes, tempusque, quod in illorum mora, ac duratione consistit improprie quodammodo appellentur circulus, orbis, Gyros, a circumferentia.

- 37 Ut autem eo, unde alij reuertantur, quod tempus idem, modo ad unum, modò ad aliud prædicamentum sub diuersis rationibus formalibus spectet, haud videbitur absurdum ei, qui expendit, prædicamenta non semper debere distingui realiter, multotiesque sola distinctione virtuali esse contenta, iuxta ea, quæ disseruimus supra tract. 1. cap. 3. & 4.

## CAPVT VI.

Circa quantitatem numeri auctorum placita.

- 38 Super sunt duæ quantitatis species numerus videlicet, & oratio de quibus, an veræ sint, huiusque prædicamenti proprie, an tantum improprie, & adumbrata, solet inter scholasticos magna contentione discutari. Numerum autem, ut ab eo incipiam, haud esse quantitatem veram, & prædicamentalem tradunt Oham in 1. dist. 24. quæst. 2. Gregor. ibid. quæst. 2. art. 2. Marfil. in 1. dist. 27. art. 1. Gabr. & communiter cæteri Nominales. Item Albert. lib. 8. metaph. tract. 1. cap. 8. Aureolus apud Capreolum ubi supra Commentator 3. physic. textu 68. Numerum, inquit, esse *acervum unitatum*. Suarez disput. 41. met. sect. 1. Vasquez 1. patt. disp. 26. cap. 3. Fonseca 5. metaphys. cap. 13. quæst. 4. sect. 4. Conimbr. de quant. quæst. 2. art. 1. Hurtado in metaph. disp. 13. §. 47. Arriaga etiam in metaph. disp. 5. sect. 1. subsect. 3. n. 25. Tellez quoque in metaph. disp. 60. sect. 2. num. 20.

- 39 Primum huius sententiæ fundamentum est: ut aliquid sit in prædicamento, oportet illud esse quid positivum, & non negativum, ut colligere est ex eo carmine vulgari, *entia per sese finita realia tota*; cuius prima dictio negationem omnem à prædicamento excludendam esse, denotat: numerus negationem, eamque multiplicem formaliter importat, cum plures complectatur unitates, & quævis unitas prout talis sit indiuisio, siue diuisionis negatio.

- 40 Alterum est huiusmodi: ut aliquid sit in prædicamento quantitatis, aliove quouis, opus est ei esse ens reale, & non rationis, ut superioris versiculi posterius declarat hemistichion, videlicet *finita realia tota*. At numerus non est ens reale, sed ens rationis, atque intellectus opus: nam per id res numerari, siue in numerum coalescere censentur, per quod facultas aliqua numerat, sicut cum aliquid cognoscitur, & amatur, hanc ei gratiam præstat, qui cognoscit, & amat, eoque ipso, quo utramque actionem exercet: sed numerare, atque intus dicere, unum, duo, tria, &c. est opus intel-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

lectus; ergo, & quod res numerentur, siue, quod instar est, ut cogantur in numerum. Deinde, cum dicitur de multis hominibus coram positus, primus, secundus, tertius, multoties haud est fundamentum, ut unus potius, quam alter censeatur primus, secundus, aut tertius: quod ergo tales dicantur, numerique rationem induat, est eis denominatio extrinseca & ab intellectu proficiens. Denique, cum exterius designo decem, v. g. numero utor denario, & non alio: ergo numerus ille est operatio solius rationis, alioqui cur à meo penderet arbitrio? Huc facit Arist. lib. 4. phys. text. 13. 1. ita de numero expræse sentire; necnon sequenti text. 13. 2. & ante text. 110. in hoc enim docet, eundem esse numerum centum hominum, centumque equorum: in illo vero, eundem esse numerum septenarium canum, & equorum: at tales numeri non sunt iidem, si supponant pro rebus ipsis, quippe qui sunt valde diuersæ: haud ergo numeri illi secundum rationes suas formales supponunt pro rebus, sed potius ab eis distinguuntur, adeoque sunt entia rationis, cuius nimirum est ea vis, ut sicut eandem rem in dissimiles formalitates secernit, ita etiam diuersis rebus posset unitatem, ac similitudinem conferre.

Tertium eius sententiæ fundamentum est. Quod est in prædicamento quantitatis, eiusque vera species, distinguere debet à substantia, haud enim utrumque inuicem, aut cum alio villo confundi potest: atque hac de causa quantitas continet hominis ab eius substantia distinguitur, quia nimirum est genuina eius quantitas: sed numerus hominum, v. g. ab eorum substantia neutiquam est distinctus: ecquid enim esse potest, nisi ipsi homines, eorumque positiua pluralitas: fieri ergo nequit, ut sit vera quantitas, aut ad hoc prædicamentum strictè pertineat. Quartum est tale. In rebus spiritualibus locum habet quantitas discreta: quis enim earum numerum aliquem neget? an non tres Angelos perinde, atque tres homines, equolue dicere possumus, ac solemus? at res spirituales, ut sunt immateriales, omnisque corporis expertes propriè loquendo, ita & omnis veræ quantitatis: esse ergo nequit, ut quantitas discreta veram quantitatis rationem obtineat, ad eiusque spectet genus.

Quintum eius sententiæ fundamentum sic se habet. Id nequit esse simpliciter, ac verè quantitas, vllave eius species, quod non est simpliciter ens reale: quandoquidem hoc dissecatur in quantitatem, & cætera prædicamenta: qua ratione fieri nequit, ut quidpiam sit homo, quod non animal propter huius essentialem diuisionem in hominem, & equum, reliquasque belluas: at numerus non est simpliciter ens reale, sed entia, cum sit formaliter multitudo quædam entium, ut per se palam est, utque docet Aristoteles lib. 3. phys. cap. 7. text. 68. Numerus est una plura, quantave quædam, & lib. 10. metaph. c. 9. text. 20. Numerus est multa una. Aristoteli consentit ea in re Damascenus in Dialect. cap. 49. Unitatibus igitur in unum coeuntibus duo sunt, &c. Et Greg. Nyssen. in lib. de historia sex dierum parum ante medium: Numeri natura una cum creatione introducta est; nihil enim aliud est numerus, nisi unitatum compositio.

Postremum argumentum, & proximè posito affine pro eadem sententia est huiusmodi. Ad ens prædicamentale opus est, ut sit per se, & non per accidens; quemadmodum versiculi toties memorati dictio secunda indigitat, *entia per sese, &c.* Sed numerus nō est ens per se, sed per accidens, veluti cumulus lapidum: haud enim est maior inter hos, quam inter partes numeri vnio, nexulve. Quo accedit effatum Arist. 1. 8. met. c. 3. text. 10. Numerum oportet aliquid esse, quo vnus, si vnus est: aut enim non est, sed quasi congeries: aut dicendum est,

est, quidnam illud sit, quod unum ex multis facit. Quasi diceret, id intelligibile prorsus esse, adeoque numerum esse ens per accidens; veluti congeriem, cumulumve: hæc enim videtur esse vis, hic totius distinctionis sensus.

- 44 At ex aduerso numerum esse veram quantitatis speciem, tuentur Caietanus cap. de quant. in commentario Sotus ibidem q. 1. Ioan. à S. Thom. q. 16. Log. art. 2. concl. 1. Iauel. 8. metaph. q. 9. Soncin. 10. metaph. q. 7. Capreolus in 1. dist. 24. q. 1. & communiter alij Thomistæ. Item Auicenna lib. 3. metaph. c. 4. Henricus 1. part. art. 29. q. 7. Argent. in 1. dist. 4. q. 1. Rursus ex nostris Rubius in cap. de quant. & Vallius, ac Toletus ibidem.

- 45 Huius opinionis duo sunt fundamenta, quæ veri similitudinem habent aliquam. Primum est; numero conuenire definitionem huius initio capituli propositam; videlicet fortiri partes entitatiue extensas, & quarum aliæ sint, possintve esse extra alias per veram distinctionem. Quod si qua alia est quantitatis definitio, ea, si vera sit, non poterit numero non conuenire. Secundum est; proprietates quantitatis in numerum cadere, præsertim verò esse æqualem, aut inæqualem, finitum, aut infinitum, ac denique esse mensuram, æqualitatem, & inæqualitatem ei competere: binarius enim hominum numerus, & Angelorum sunt æquales, nec se inuicem excedunt: contra verò alterutrius speciei numerus ternarius inæqualis est binario, eumque exuperat. Finitas, & infinitudo: nam numerus denarius, v. g. dicitur finitus, quippe prima, & vltima vnitate clausus: multitudo verò infinita, numerus infinitus appellari potest, debetque; eaque loquendi formula vltus est Ecclesiastes cap. 1. *Stultorum infinitus est numerus*, & cap. 4. *Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum*. Tandem ratio mensuræ: numerando siquidem metimur, quantus sit exercitus, quantus concio, &c.

## CAPVT VII.

*Nostra de quantitate numeri sententia & aliarum argumenta, quatenus nobis aduersantur, soluta.*

- 46 **A**rbitor tamen, prædicamentum quantitatis, iuxta dicta tract. superiori, distinguendum esse in physicum, & metaphysicum; atque in hoc, non verò in illo numerum oportere constitui. Rationes autem prioris sententiæ ad initium capituli præcedentis memorata, vt ab eis ordiatur, aut nostram probant, aut profecto nihil. Ad primam earum dicendum est; indiuisiōnem, seu negationem diuisionis vnitate quauis, vnitatumque numero inuolutam esse negationem negationis, siue positionem simpliciter, & reuera, quantumuis nomen negationis vsurpet, eaque veluti persona se dissimulet; non aliter, atque carentia tenebrarum est verus fulgor, ac positiva lucis entitas. Quocirca defectu entitatis, aut positionis, haud est quod numerus excludatur à prædicamento quantitatis, etiam physice sumpto, ne dum metaphysice: vnde ratio illa tantum abest, vt nostram oppugnet sententiam distinctione vrentem, vt ne aduersus eam, quæ in nullo cedit quicquam habeat ponderis.

- 47 Deinde, fac ad prædicamentum quantitatis, aliudve quoduis expolci, vt non sit negatio, etiam virtualiter distincta ab entitate positiva; sanè hæc conditio ad prædicamenta physice excepta requiritur vt summum, secus verò ad illa secundum eorum metaphysicam, & à multis legibus magis liberam, & absolutam confide-

rationem. Quare licet negatio diuisionis sit virtualiter distincta ab entitate, quam denominat indiuisam, vt ostendi in loco; hoc profecto tantum conuincet numerum eiusmodi indiuisiōne replicata constitutum non habere locum in prædicamento quantitatis physico, secus verò in illo quatenus sumitur metaphysice.

Sed inquires: quantitas discreta importat veram separationem, seu discretionem partium, adeoque veram vnionis inter illas carentiam: Quod si fuerint vnitate inuicem reddent porius quantitatem continuam, quam discretam: atqui negatio vnionis est vera negatio, eaque quæ sit positionis, compositionisve, non vero alterius negationis: quantitas ergo discreta veram, ac realem, & non virtualemente duntaxat negationem inuoluit: vnde non poterit vllatenus esse in prædicamento siue genere quantitatis.

Respondet in primis; quantitatem discretam principaliter, & in recto complexi entitates positivas, earumque multitudinem, nec, nisi minus principaliter, & ex adiacenti earum discretionem, seu separationem negatiuam: quod enim ad præsens attinet, principaliter est in ea, quod sit quantitas, quam quod discreta, cum hoc ei cum pluribus extra hoc prædicamentum sit commune: quocirca magis esse, vt munere entitatum, quas inuoluit, sit in genere quantitatis, quam, vt titulo negationum ab eo excludatur. Alia est ratio hircocerui, tenebrarum, & similium, quæ à prædicamento solent excludi. Vel enim nihil posituum in se cohibent, ne dum principaliter, quod de tenebris probabiliter arbitror: vel certe ex principali nullam important positionem: figmenta namque, tamen ea noster intellectus architectetur ex terminis positivis, v. g. superius illud ex hircoceruo, & ceruo; at quod in eis potissime spectatur, quatenus sunt talia est quod sint impossibilia, & conficta tantum: quin etiam ipsa extrema realia in eis inuoluta haud sunt possibilia esse eo pacto, quo concipiuntur ab intellectu, proinde eorum realitas ad prædicamentum possessionem nihil potest conferre iuris.

Respondet secundo, diuisionem quantitatis in continuam, & discretam, neutquam esse essentialem, & quidditatiuam, sed subiecti in accidentia: essentia namque quantitatis est, habere partes entitatiue extensas, id est alias extra alias per veram distinctionem in actu primo saltem: accidit autem illis prout sunt eiusmodi, quod sint vnitate, & continuata; quodve tali vnione, & continuatione careant, sintque potius separata. Quamobrem nihil refert, quantitatem discretam inuoluere veram negationem, eo nomine, vt excludatur à prædicamento, quo de loquimur: eam enim inuoluit, non secundum eius essentialem rationem, sicut oporteret ad prædictum finem, sed secundum accidentalem, & secundariam, quæ non est æstimanda, vbi agitur de iure ad prædicamentum aliquod. Respondet tertio cum Patre Hurtado disp. & sect. citatis §. 47. quantitatem discretam, siue numerum non inuoluere necessarid negationem vnionis, sed ab ea præcisam esse ratione nostra, illamque non deposcere; in quo non parum dissidet à quantitate continua, de cuius conceptu formali est vnio, & continuatio partium, sic, vt eam tanquam suo sibi iure debitam postulet. Ratio autem huius est, quoniam ipsius quantitatis continuæ partes, si non proportionales, at certe determinatæ possunt in numerum cogi & consequenter quantitatis discretæ rationem subire: haud ergo est opus huic quantitatibus speciei carentia vnionis partium ex quibus coaliuit aliquando, sed satis habet earum vnionem si neutquam petat, sed potius ab illa præscindat. Quæ cum ita sint, non est quapropter quantitas discreta ex meritis alicuius

veræ

veræ negationis ab isto relinquitur prædicamento.

51 Ad secundam rationem dicendum est, solum ens rationis fictitium, & chimaicum relegari à prædicamento; secus vero id, quod in extrinseca quadam denominatione ab intellectu actu nihil fingente fitum est, illud enim prius, non hoc posterius est realitatis, & entitatis experts, adeoque non prædicamentale iuxta prædicamenti regulas toties inculcatas. Numerus autem est ens rationis, non fictitium, sed sine fictione vlla fabricatum, & extrinsecè constitutum ab eo, qui numerat. Deinde prædicamentum physicum ad summum flagitare potest, vt quod est in eo sit ens reale, & non rationis, siue fingentis, siue sine fictione operantis: Ea verò conditio neutiquam est requisita ad prædicamenti vllius metaphysicè sumpti possessionem: Quidni ergo numerus, quantumlibet ens rationis, & opus intellectus numerantis sit, in prædicamento quantitatis secundum aliquam eius usurpationem? Quod ex eo confirmari potest: nam vti cognitio spectat ad genus, aut actionis, aut qualitatis, ita etiam cognitum ritu cæterorum accidentium, quæ cum in abstracto, tum etiam in concreto feriem prædicamentalem ingrediuntur quodammodo: cognitum autem est ens rationis, sin minus priori illo sensu, ac certè posteriori.

52 Denique responderi potest, numerum duplicem esse: alius est primo intentionalis, vt cum in rebus siue entibus ipsis inuenitur sufficiens causa quapropter dicatur primum, secundum, tertium, &c. sic elementorum ordo, seu loci, seu dignitatis, seu vtriusque circumscripta quauis consideratione intellectus, vt ignis dicatur primum elementum, aer secundum, aqua tertium, & tellus vltimum. Quo respexit Marfilius 1. astro.

*Ignis in æthereas voluer se sustulit auras,  
Summaque complexus stellantis culmina cœli  
Flammæ vallo natura mœnia fecit;  
Proximus in tenues descendit spiritus auras,  
Æræque extendit mediū per inania mundi.  
Ignem flatus alit, vicinis subditus astris.  
Tertia fors vidas strauit, flatusque natantes,  
Æquora perfudit toto nascentia ponto,  
Vt loquor exhalet tenues, atque euomat nubes,  
Æræque ex ipso ducentem semina pascit  
Vltima subsedit glomerato pondere tellus*

53 Alius est secundo intentionalis, vt cum sine respectu ad rerum intrinsecam naturam, aut ordinem mens denominat ex arbitrio hanc vnitatem præ alia primam, & alteram secundam, & sic reliquas. Quamquam ergo numerus priori modo sumptum minimè pertinere ad prædicamentum quantitatis, aliudve vllum probet ratio aduersariorum; at id, qui probare potest de numero prout accipitur posteriori modo? Non me præterit alia numeri diuisio, eaque bimenbris, tradita, à Paulo Soncinato 10. metaph. quæstione 9. sentit enim ibi, numerum, alium esse abstractum, vt cum quis dicit, vnum, duo, tria, qualia tamen ita recentè, haud distinguens, sed potiùs à quibusvis entibus in particulari abstrahens: alium verò esse concretum, vt cum quis quatuor esse corpora simplicia, aut vndecim cœlestia asserit, aliæ entia in singulari concernit, atque, in numerum redigit: priorem autem indicat esse opus rationis, secus vero posteriorem. Cæterum hæc doctrina meo iudicio est inuentisimilis: namque, vt visum paulo supra, etiam si numerus sit concretus rebus ipsis in individuo, siue atomo, vt aiunt, nihilominus, modo est opus rationis, quippe qui vt abstrahere à rebus singularibus, ita ad eas potest, solletque descendere, modò verò rationem anteu-

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

tit, vt per se palam est, & nemini non in confesso.

Tertiæ rationi, vt fiat satis, animaduertendum est breuiter, numerum bifariam sumi posse: primo, vt perinde sit, atque collectio ordinata plurium quantitatum singularium, aut certè plurium vnitarum, siue vnionum, quæ inter partes eiusmodi quantitatum intercedunt. Ita Aristoteles 3. physic. cap. 6. & 7. Numerum, inquiens, fieri diuisione quantitatis continue; & secundo de anima capite 6. Numerum, scribens, esse sensibile commune: secundo prout est multitudo digesta quarumvis aliarum entitatum, vel vnitarum: qua autem ratione in præfenti diuiditur numerus bifariam, ita, & vnitas, quæ cum multiplicata constituit. Quantitatis distinctæ prior consideratio propriissima est, indeque inchoata, quod primi philosophi rerum sensibilibus, quas solas nouerant, collectioni nomina indiderint: posterior verò est propria, tamen non adeo, inualuitque prouecta iam, atque adulta philosophia, quando nimirum ingenia sapientum ire ceperunt, ac discurre per res non sensibus modo obuias, sed etiam eis inuias, & vtriusque numerum, aliasque affectiones explorare.

55 Iuxta priorem ergo sumpta quantitas discreta distinguitur, secundum non paucos etiam aduersariorum, à substantia rei quantæ: cum enim de eorum sententia quauis quantitas continua sit ea distinctione prædita, necessum est, vt omnium collectio, adeoque numerus, quo de loquimur, eam distinctionem subeat: hoc igitur ex titulo non est, quapropter à conceptu veræ quantitatis, eiusque genere abiiciatur: quin etiam numerus priori illo modo sumptus ab ipsis etiam quantitibus continuis, quales ex cumque sint, & siue cum substantia identificata, siue ei realiter superaddita necessario distinguitur; si nimirum perinde sit, atque collectio vnionum continuatarum, quas quidem ab extremis distingui suis, instar aliorum modorum, in physica demonstratum est.

56 Iuxta posteriorem considerationem, quantitas directa neutiquam est realiter distincta à rebus quantis, earumve substantia: id tamen non obest, quominus veræ quantitatis rationem induat, eiusque in genere sit: namque tractatu primo, cap. 3. & 4. visum est, prædicamenta haud oportere distingui realiter, potiùsque aliquid verè, & propriè esse posse in duobus: quidni ergo quantitas discreta quantumlibet indistincta à substantia rerum, quæ sub numerum cadunt, adeoque in substantiæ prædicamento sita, quidni inquam, sit etiam in eo, quod illud proximè consequitur, eiusque vera species? Quo etiam pacto probabilius est, vt ostensum supra cap. 3. & 4. quantitatem continuam, quamquam sit vera quantitas, & non adumbrata; tantum esse tamen in prædicamento substantiæ, & non distingui realiter à materia prima, quam quantam efficit.

57 Quarta ratio difficultatem attingit vtriusque factionis authoribus communem: etenim inter eos, qui defendunt, numerum non esse ens per se, nec veram quantitatis speciem, nihilominus cum haud reperiri in rebus spiritualibus tuerentur Suarez, & Fonseca, alique plures: Qui verò numerum in prædicamento quantitatis reponunt à fortiori, vt aiunt, cum à rebus spiritualibus, ac sensibili quantitate minimè præditis relegant, vt Caiet. Iauell. Soncin. Capreolus Henricus, Rub. &c. Ex aduerso numerum habere locum in rebus spiritualibus, eisque propriè conuenire docent communiter nominales doctores supra citati pro sententia numerum inter veras quantitatis species minimè collocante: Item

ex his, qui Contrariam sequuntur non pauci: nec ignobiles; quamvis, ut per se palam est, minori iure, quam priores.

58. Aliquid tamen arbitror deferendum primæ sententiæ, & non nihil secundæ. Quantitas numerica ac discreta, iuxta ea, quæ paulo supra disseruimus, alia est propriissime, & à rebus incorporeis abigenda, utpote, quæ multiplicis quantitatis continuæ sunt expertes, alia est propria, & in rebus corpore vacantibus admittenda, quippe quæ numerum, plurimumque entium multitudinem ordinatam efficiunt. Ita dicitur cap. 19. Genes. *Veneruntque duo Angeli sodomam vespere*: & Apocalypsis capit. 7. *Post hac vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terre*. His positis, ad quartam illam rationem contrariam, cuius ergo hæc sunt præmissa, Respondeo distincta, ut paulo supra, maiori, & negata minori quamvis enim quantitas molis, & tumoris, quæ nimirum res aliqua habet partes in ordine ad locum, & extensas versus longum, latum, & profundum, inuicem penetrari nescias, non reperiatur in rebus spiritualibus: Cæterum quantitas absolute dicta, ac latius fusa non est cur ab eis excludatur, curve corpora sola sequatur: Quocirca probare nequeo, quod pronunciat P. Suarez, disput. 41. metaphysicæ sect. 2. num. 5. ubi post hæc verba, *Siquis mordicus contendat nomine quantitatis discreta tantum significari quamcumque rerum multitudinem, facile defendet quantitatem discretam in Angelis reperiri*; statim subiungit. *Qui verò sic loquuntur, in primis abutuntur voce quantitatis: cum hæc vox absolute dicta in usu omnium philosophorum molem corpoream significet. Ideoque nullus philosophus absolute concedere esse quantitatem in Angelis*. Sed tamen eius pace veram quantitatem in Angelis admittunt omnes, qui numerum in eis proprie inueniri eumque aliunde esse veram quantitatem existimant: eorum autem Catalogus haud ita supra adhibitus est, maiorque posset adhiberi, si fas esset per locum.

59. Quinta ratio, ut dissoluatur toties inculcata diuisionis prædicamenti in physicum, & metaphysicum, reoli, debet: eaque supposita dicendum est, ut quidpiam sit in prædicamento secundum eius priorem intellectum, requiri fortasse, ut sit ens reale simpliciter, & absolute, hoc enim est, quod dissecatur in decem illas classes, siue series rerum physicæ, ac præse sumptas: cæterum, ut aliquid sit in genere aliquo supremo, siue prædicamento secundum eius posteriorem sensum, illumque magis amplum satis superque est, ut sit ens reale, prout hoc abstrahitur ab ente simpliciter, & vno, atque ab ente multiplici, ac secundum quid tali, magisque entibus, quam ente: siquidem ens reale ab utroque abstrahi, tam non repugnat, quam, ut abstrahatur ab ente reali, & fictio: hanc autem abstractionem defendemus infra lib. 5. tract. 1. cap. 8. & 9. Porro ens, ut ita abstractum est, quod dissecatur in decem prædicamenta metaphysicè usurpata: quocirca nihil vetat, aliquid in eis secundum eiusmodi usurpationem esse tametsi si sit reuera plura entia, & non vnum proprie, ac per se, atque adeo licet non sit ens reale simpliciter, & absolute, ut dici consuevit.

60. Ad postremam eiusdem sententiæ rationem dicendum est, numerum esse quidem ens per accidens, at non per se, nihilominus tamen esse veram quantitatis speciem. Tum quia fortassis perfectitas tantum requiritur ad prædicamentum substantiæ: quorsum enim requiri possit, debeatque ad prædicamenta nouem accidentium, quæ in eis constituuntur, esse entia per se, & non per accidens? aut quorsum ge-

neribus accidentium obstat accidens, aut perfectitas proficiat? Quod si ita habet, conditiones comprehendæ versiculæ illis. *Vox vna, & simplex, &c.* pro prædicamentis omnibus sunt tradita, non tamen pro singulis. Tum etiam, quia, licet ad prædicamentum, non substantiæ modò, sed quantitatis etiam, & quoduis alterum? requiratur esse ens per se, id tamen intelligendum est secundum physicam earum acceptionem, non verò metaphysicam. Quidni ergo numerus, quantumvis ens per accidens, esse possit in prædicamento quantitatis, aut absolute, aut certe posteriori illo, & magis amplo eius intellectu.

61. Verumenim vero authores illi qui magis rigide, ac seuerè deffendunt, numerum esse in prædicamento quantitatis, eiusque veram speciem respondent argumento superiori, eum esse ens per se, haud tamen eadem omnes de causâ, haud eodem colore. Primo namque quidam aiunt, partes numeri habere vnitatem, siue vnionem ordinis, camque satis esse, ut sit ens per se. Contra tamen, quia etiam acutus lapidum ita est institutus, ut eius partes habeant vnitatem propinquitatis & aggregationis, quæ tamen non sufficit, ut sit ens per se, nec vetat quominus sit ens per accidens; similiter ergo &c. Contra Secundo, quoniam exercitus. v. g. est ens per accidens, & tamen vnitatem illam ordinis haud respuit, quandoquidem in eo est Imperator, Duces, vexilliferi, gregarij, &c. Horumque respectu eiusdem finis consensio, ac veluti concatenatio. Contra tertio, quoniam vnio illa ordinis, aut est vera, ac propria, aut non? si primum: ergo, si reducatur in numerum entia aliqua existentia, & alia non existentia, eo ipso erunt inuicem strikte vnita: si entia loco dissita, aliaque hic, & alia Romæ posita, similiter: si contraria, & mutuo pugnancia, qualia sunt calor ut octo, & frigus eius destructiuum, nihilo fecius: consequens autem adeo est falsum, ut nulla egeat impugnatione. Si secundum, qui fieri potest, ut vnum proprie, & per se constituat magis, quam, quod non est albedo, album?

62. Secundo alij respondent, vnionem intentionalem ac solius rationis numerantis inter vnitates in numerum coactas sufficere, ut ille sit ens per se: quod explicari potest exemplo generis, aut speciei: nam homo, verbi, gratia, prout abstractus à Petro, & Paulo, ac cæteris indiuiduis, est ens per se, ut nemo non admittit: at ita comprehendit plures homines inter se nequaquam vnitos reipsa solumque per intellectum in quandam rationem specificam hominis coalitos: similis ergo vnitas satis erit, ut numerus sit ens per se.

93. Contra tamen, quia vnio intellectualis est improprie, & secundum quid vnio, nisi vero audeas asserere, Deum, & creaturam omnem verè vniri propterea quod illum, & hanc possit intellectus in vnam rationem entis confundere, & quæ tanto distant intervallo, imperfectionis suæ munere inuicem componere, taceo alia, quæ exinde inferri possent incommoda: quod enim insinuatum est apertum, euidentique. Exemplum autem hominis non vrget: potest enim bifariam homo considerari: primò, ut totum potentiale, quatenus Virtute complectitur omnia sua inferiora: atque ita ens est per accidens: secundo tanquam totum actuale, & prout animal, & rationale cohibet, atque ex utroque conflatur: & sic est ens per se, cum prædictæ formalitates veram habeant vnitatem, imò omnium maximam, videlicet realem, & ab intellectu minimè pendulam. Quæ ergo hominis, alteriufve speciei, aut etiam generis, ad numerum

numerum paritas esse potest? quæ utrinque vicinitas?

- 64 Respondent tertio alij apud Auerlam q. 18. log. sect. 2. *alij itaque ingenue*, sine vera aliqua vnione partium suarum nihilominus numerum esse posse ens per se, ac propriè vnum. Id tamen ecquid est, quam effectum formalem sine forma tribui posse, haud fecus, ac si quis fingeret Cygnum sine candore esse album, coruum sine nigredine nigrum, corpus sine anima animatum; quæ & similia portenta quis non irrideat?

Quartò non pauci Thomistarum dant, numerum minime futurum ens per se, si consisteret in vnitatibus ipsis, earumque aggregatione quadam: cæterum in eis neuiquam consistere, sed esse tertiam quandam entitatem accidentariam ex eis resultantem, & in omnibus illis, ex æquo receptam: eiusmodi ergo accidens esse posse, & debere ens propriè, ac per se vnum: est enim prorsus indiuisibile, & idem in se: nulla autem vnitas indiuisibilitate omnimoda, siue identitate reali maior excogitari potest.

- 65 Verum in primis ex rebus inuicem non vnitis emergere nequit tertia entitas: alioqui ex corpore, & anima, vtriusque dissoluta vnione, ac vi mortis destructa resultare posset tertia illa entitas, siue totalitas quæ nuncupatur homo: atqui inter partes numeri, siue vnitates nulla intercedit vera vnio, vt superius probatum est, vtque sponte sua euident. Rursus ex albedine, v. g. & pariete vnitis inuicem haud tamen resultat tertia illa entitas ab vtriusque collectione distincta; albumque nihil aliud esse potest, quam forma illa, & subiectum: quod, tum de hoc, tum de quouis alio concreto accidentali firmiter tenendum esse demonstratum est in physica: à fortiori ergo, vt aiunt, ex vnitatibus nullo modo vnitis, sed potius separatis vicissim nulla poterit entitas tertia existere.

- 66 Præterea tertio: accidens illud quo pacto recipi vallet simul in tot subiectis, ac tempore, & loco tam distitis? An myrias hominum id est numerus decem millium, in omnibus, & singulis suscipi poterit? An eorum similiter millio, siue numerus mille millium? An alij maiores per quos esset ire prolixum, quibusque eorum amplitudo nomina denegat? Quamuis autem aduersarios hæc omnia sine scrupulo, aut religione videam admissuros, nihil tamen eis video magis absurdum, aut incredibile. Et quidem aliàs sequeretur, eandem prorsus albedinem (par autem est ratio cuiusvis alterius accidentis) receptum iri in omnibus subiectis albis, adeoque plures non reperiri, sed vnā tantum. Quo enim argumento poterunt hoc impugnare, qui numerum vnus millionis v. g. aliamve longe maiorem in infinitis propè subiectis indiuisibiliter recipi propugnant?

- 67 Quod si propterea quis recurrat ad determinationem causæ primæ, eiusque esse censet, constitutur, vbi recipiatur numerus, & in qua vnitate præ aliis, adeoque necessum non esse, vt in multis subiectis recipiatur, ne dum innumeris: haud secus atque, quinam calor in indiuiduo producat ab igne præ aliis infinitis, quos posset efficere, à causæ primæ pender arbitrio; facile poterit is impugnari, talem in modum. Nam, præterquam quod illa disputandi ratio maxime abhorreat à doctrina Thomistarum, quibuscum potissimè lis est; inde certè confici posset, numerum à Deo conseruari posse per miraculum absque vllis vnitatibus, & has absque vllō numero; tam enim est in eius potestate suspendere actiones causarum secundarum, easve sine illarum concursu sola sua omnipotentia exerce-

re; calorem v. g. sine igne producere, & ignem similiter sine calore, quam determinare, quinam effectus in indiuiduo proficiantur à causis secundis: tam igitur erit in eius manu numerum sine vnitatibus, aut has sine illo adstruere, quam ei liberum est numeri subiectum assignare, & vbinam in indiuiduo recipiatur prorsus definire. Consequens autem adeo est manifeste falsum, vt à nemine possit admitti.

Deinde quartò: omnia entia vniuersi numerum aliquem conficiunt nobis ignotum, Deo tamen, & fortassis etiam Angelorum quibusdam probè cognitum, exploratumque: Quæro ergo, an præter eum numerum sit alius in rebus, vel non? si secundum: ergo non erunt in vniuerso quatuor elementa, non septem sydera errantia, non octo cæli stellati, non tria cuiusvis entis naturalis principia, non quatuor causarum genera: quin etiam falsa erunt, aut certè improprie dicta, quæ habentur in sacris literis de duodecim Apostolis, de numero itidem duodenario tribuum Israel, de quatuor Euangelistis, de tribus virtutibus theologicis, &c. Si primum: ergo numerus non est vnum per se: alias haud possent ex iisdem & vnitatibus numerorum variae species resultare, quemadmodum ex eadem materia, & forma haud nisi vnus homo v. g. potest componi, haud equus, haud leo, haud aliud animal; quoniam videlicet hæc species sunt entia per se. Equidem lac v. g. cum candore facit album, cum dulcedine dulce, cum frigiditate frigidum, cum humiditate humidum & cum cognitione cognitum, quia nimirum hæc denominationes sunt entia non per se, sed per accidens: Contra verò ex materia aliqua non potest simul resultare, nisi idem compositum substantiale, nec fieri potest, vt eodem temporis articulo corpus idem hominem, verbi gratia, & equum constituat, propter id, quod vterque est ens per se: quando ergo vnitas prima cum secunda numerum dualem facit, & cum sequenti ternarium, & cum alia vltiori quaternarium; numerum omnem esse vnum per accidens, & neuiquam per se oportet. Adice, sicut accidens in infinitis prope subiectis semel suscipi est incommodum, ac non mediocre, vt supra visum, ita similiter, & vnitatem aliquam esse subiectum infinitorum accidentium; eiusmodi autem erit quæuis vnitas, illud secundum si admittatur: quæuis enim cum alia constituit innumeros pene numeros duales, & cum quacumque dualitate, aut cuiuscumodi vnitatibus, vnde ea resultat, haud pauciores ternario, & cum his totidem, vel plures quaternarios: nulla igitur vnitas non erit subiecta infinitis propemodum accidentibus, vbi semel numerus sit accidens, ac tertia entitas, vt configunt hi, quibuscum disceptamus.

Quinto tandem alij aduersariorum respondent, partes numeri proprie vniri; vltimam enim vnitatem esse veram formam numeri; eam ergo esse vnitam reliquis vnitatibus, quas præsupponit, & has inuicem ea mediante, cum nulla forma non fortiaur cum subiecto suo vnionem. Sed fieri non posse, vt partium numeri sit aliqua vera vnio, aut compositio, abunde constat ex dictis supra. Deinde ratio eius commentitiæ vnionis in præsens adducta refellitur, & quod postrema vnitas non sit vera cæterarum forma, suadet, meoque iudicio manifeste: siquidem vltima vnitas, haud est reliquarum forma, quia vnitas præcisè, alias omnis alia rationem formæ obtineret ex æquo: non etiam, quia vltima. Vel enim est vltima, quia numerans eam postremo loco recensuit, cum tamen posset primo: atque ita in arbitrio voluntatis nostræ situm erit efficere, vt vna

vnitas præ alia rationem formæ induet, ac physice vnatur cæteris anterioribus, aut secus, quo nihil magis absurdum: quin etiam eademmet vnitas ita erit forma cæterarum, & simul non erit, prout aduersis hominibus mutato recensetur ordine. Vel propterea est vltima, ob ordinem rebus ipsis intrinsicum, & ab intellectu minime dependentem, cumque qui sit temporis, loci, situs, dignitatis, aut naturæ: atque hoc etiam vanum: namque saltem diuinitus fieri potest, vt vnitates, quæ rediguntur in numerum, sint simul tempore, & loco, eodem situ præditæ, eiusdemque dignitatis, simulque naturæ & quævis independentes, & non causata ab alia: tum ergo, quod altera præ alia sit vltima, erit denominatio extrinseca, & arbitraria, adeoque insufficiens, vt vna vnitas præ alia sit cæteris immediatè vnita: earumque vera forma. Siquando autem Aristoteles, & B. Thomas insinuant vltimam vnitatem esse formam numeri: id, non de forma strictè sumpta intelligendum, sed de eius quadam metaphora, ac similitudine: quoniam sicuti forma materiam complet, supponit, compositionemque, quod constituit à cæteris efficit differre, sic vltima vnitas, verbi gratia, in triade, tertia duas primas complet, supponit, & numerum ternarium ex eius additione resultantem facit à duali differre, cum quo alioqui conueniret necnon etiam à quouis alio numero qua vltima est, & alias vnitates superuenientes excludit.

70

Qui numerum esse ens per se, ac proprie vnum existimant, ita arguunt primò: numerus est obiectum alicuius scientiæ, seu facultatis: numerus sonorus, verbi gratia, musices, numerus, quo alterno pede terra quati solet, saltatricis; numerus abstractus ab his, & aliis differentiis arithmeticæ: quin etiam Geometria, & astronomia sunt quodammodo circa numeros: mens enim vt ait August. lib. 2. de ordine cap. 15. *Profecta in oculorum opes, & terram cælumque collustrans sensit nihil aliud, quam pulchritudinem sibi placere, & in pulchritudine figuras, & in figuris dimensiones, & in dimensionibus numeros: quasiuit que ipsa secum, vtrum ibi talis linea, talisque rotunditas, vel qualibet alia forma & figura esset qualem intelligentia contineret. Longe deterioiorem inuenit, & nulla ex parte quod viderent oculi cum eo, quod mens cernebat comparandum. Hæc quoque distincta in disciplinam redegit, appellauitque Geometriam. Motus eam cæli multum mouebat, & ad se diligenter considerandum inuitabat. Etiam ibi per constantissimas temporum vices, per astrorum ratos definitosque cursus, per intervallorum spatia moderata intellexit, nihil aliud, quam illam dimensionem, numerosque dominari. Quæ similiter desumendo, ac discernendo in ordinem nectens astrologiam genuit magnum religiosæ argumentum, tormentumque curiosis* Hactenus ille. At nulla scientia aut facultas esse potest de ente per accidens, vt perspicue docet Aristoteles lib. 6. metaphysicæ text. 4. *cum itaque ens multipliciter dicatur; primum ideo, quod secundum accidens est, dicendum, quod nulla circa illud speculatio est, &c.* ac statim, *signum autem, quod nulli scientiæ cura est illud, neque actiua neque factiua, neque speculatiua: neque enim qui facit domum facit simul quæ accidunt, &c.* reliquum igitur est, vt numerus non sit ens per accidens, sed per se potius. Arguunt secundo: numerus habet destinatas, ac reales proprietates, vt esse parem, vel impari, maiorem, vel minorem, &c. ergo determinatam, ac per se vnā fortitur essentiam: proinde erit ens per se ac proprie vnum, quando ens quidem est concretum essentiæ, & hac abstractum illius.

Leue tamen est vtrumque argumentum, vt fidem faciat rei tam supra fidem: Ad primum dices, numerum, etsi sit ens reale per accidens, aut quod eodem redit, ens rationis non fingentis, sed recensentis, esse posse obiectum, aut vnus scientiæ realis, quo pacto res publica, vt ens per accidens, & non per se, tamen est obiectum Politicæ, & exercitus, militaris, aut certè vnus scientiæ rationalis, veluti voces inuicem distinctæ, ac non vnitæ per se, & quatenus significatiua ex instituto & quodammodo rationis entia, nihilominus sunt obiecta grammaticæ, Rhetoricæ, Poësis, & Dialecticæ: Aristoteles autem hoc tantum vult, vni alicui facultati haud posse obici ens per accidens, prout hoc distinguitur contrà ens per se ordinatum, siue prout ordinem aliquem per se excludit: secus verò, si sumatur quatenus distinctum contrà ens per se vnum, siue quatenus veram vnitatem, & compositionem reicit: Numerus autem est ens per se ordinatum, aut ex parte rei, aut certe per intellectum: quid ni ergo vnus scientiæ materiæ esse sustineat? Ad secundum dices proprietates omnes à numero profluente, esse, non incomplexas, sed complexas: quo circa tantum abesse vt probent eum, esse ens propriè, ac per se vnum, vt potius eius multipliciter per accidens suadeant, atque persuadeant.

71

Hactenus argumenta sententiæ ad initium superioris capitis propositæ, quatenus nobis aduersantur: Quæ autem facta sunt pro posteriori negotium non facessunt: nihil enim probant, nisi numerum verè esse in predicamento quantitatis: quod autem in eo non metaphysico, modo, sed etiam physice, ac magis presse sumpto, nequaquam: at à nobis exclusus est à genere quantitatis, non secundum omnem eius rationem, sed dumtaxat penes physicam, ac magis arctam.

72

## CAPVT VIII.

## De quantitate orationis.

Supereff modo oratio, quam esse veram quantitatis speciem, eamque peculiarem, & à cæteris quodammodo distinctam tuentur Beatus Thomas in 4. distinct. one 3. q. vnica art. 2. ad quintum, & opusc. 48. cap. 2. Albert. Magnus tract. 2. de quant. cap. 2. Soncinas 5. metaphysicæ quaest. 4. Scotus deputant. quaest. 2. Rubius ibidem quaest. 11. & apud eum Tolerus, Canterus, & plures neoterici. Item Scotus in caput de quant. quaest. 8. & communiter eius sectatores. Quæ etiam sententia nobis probatur. Primum, quia est expressa Aristotelis in predicamentis cap. 6. Deinde, quia Augustini de decem categoris, ibi postquam recensuit inter species quantitatis orationem, de ea, perinde ac cæteris sic concludit; *proprie igitur hæc sola, quæ dicta sunt, quanta nominantur, si qua vero præter hæc inueniri potuerint debent pro accidentibus poni.* Terrio, quia Damasceni capit. 49. suæ Dialecticæ circa eius medium; *Proprie quidem septem hæc quanta esse discuntur, numerus sermo, tempus, locus, linea, superficies, corpus, at ex accidenti ea quoque quantitatem habere dicuntur, quæ in ipsis considerantur hoc est actio, motus, color, aliaque id genus.*

73

Quarto, quoniam quantitas continua siue sit permanens, siue successiua, est vera quantitatis species, vt supra probatum: ergo quantitas discreta, siue sit permanens, vt numerus, siue successiua, & oratio, in speciebus quantitatis, iisque veris, & non adum

74

adumbratis est numeranda; quæ enim utrimque disparitatis ratio? Quintò, quia oratio est propriè, & per se quanta, quandoquidem suis duntaxat ex meritis habet, ut eam metiri possimus syllaba breui, & longa: quæ autem sunt per accidens quanta, iuxta Aristotelem non seipsis, sed alio mensurantur: quo etiam accedit, eam habere se ipsa partes entitatiuè extensas, & alias per distinctionem extra alias. At eiusmodi vera, ac propria quantitas orationis haud est continua: tum, quia huius species sunt quinque ad summum, videlicet linea, superficies, corpus, motus, & tempus: tum, quia partes orationes proferuntur separatim, atque ex intervallo. Haud etiam discreta permanens, siue numerus: &, quia oratio potius est successioni obnoxia: &, quia orationes, seu dictiones, hæ, & lenis parem habent syllabarum numerum, & imparem quantitatē. Reliquum ergo est, ut quantitas orationis, quæ vera, ac propria esse probata est, sit quædam species à cæteris supra recensitis distincta, eisque superaddita.

75 At aliter de oratione sentiunt Caiet. cap. de quant. in exp. sitione textus, Louanienfes similiter in textu, Sanchez quæst. 30. Onna quæst. 2. art. 3. Ioannes à S. Thoma 2. p. log. q. 16. art. 3. Ionclus 2. Fonseca 5. metaph. cap. 13. q. 5. Suarez disp. 61. metaph. sect. 3. num. 1. Conimbricenses in log. cap. 6. de prædicamentis q. 2. art. 1. Arguunt autem eorum aliqui, hunc in modum. Oratio est sonus dearticulatus; sed sonus est qualitas: ergo etiam oratio pertinet ad prædicamentum qualitaris, ac proinde non ad quantitatem, cum nihil spectare possit ad plura genera suprema, prædicamentave diuersa. Secundo alij: oratio externa, siue locutio est motus quidam vocalibus instrumentis à natura nobis ingeneratis aëraque verberantibus editus: motus autem est actio, & passio, siue vtriusque complexio: oratio igitur ad hæc prædicamenta, atque adeo non ad quantitatem attinet.

76 Tertio nonnulli: eatenus oratio est quanta, quatenus est longa, vel brevis penes omnes, aut aliquas suas partes, syllabasve: at ita esse breuem, vel longam, est eam ex toto, aut quadantenus plura, vel pauciora tempora consumere: pedis enim spondæi longitudo in eo sita est, quod illius vtraque syllaba duas texat morulas, Pyrrichij breuitas in eo, quod alterutra eius syllaba semel tantum moretur, durentque, Trochæi vero, ac Iambi longitudo simul, ac breuitas in hoc, quod alter in priori syllaba, duas necet moras, & in posteriori duntaxat vnā; alter vero contra se gerat. Superuacaneum esset, explicare id ipsum in pedibus trisyllabis, ac tetrasyllabis: eorum enim, & dissyllaborum par est ratio quoad præsens. Quæ cum ita sint, lanè videtur orationis quantitatem ad durationem, siue moram in tempore, adeoque ad prædicamentum, quando, spectare: non ergo ad quantitatem strictè sumptam. Quin etiam ad hanc si spectat, haud erit eius species enumeratis superadita, ab eisque distincta, sed ad summum earum aliqua, tempus nimirum. Præterea quarto alij: oratio, siue significet ex instituto rem aliquam simplicem, ut regia, siue complexionem aliquam sententiamve imperfectam, ut regia solis, siue perfectam, ut regia solis erat sublimibus alta columnis: quocumque enim ex his modis sumi potest, ac solet, prout controuertitur in præsentī, est ens rationis, & opus animæ, cum illius significatio, qualiscumque sit, ex hominum dependeat arbitrio: nequit ergo esse in prædicamento quantitatis, quippe ad quod opus est aliorum more, ut quidquid in

eo est, eo ipso sit ens reale, & non rationis, ut superius visum.

Quinto arguunt alij: quemadmodum oratio, ac locutio nostra plura tempora disparata consumit, ac per numerosa distinguitur interualla; ita etiam quiuis alius sonus artificialis, quem ait Augustinus lib. 2. de ordine cap. 14. esse triplicem, aut in voce animantis, aut in eo, quod flatus in organis faceret, aut in eo, quod pulsu ederetur. Ad primum pertinere tragædos, vel comædos, vel choros cuiuscemodi; atque omnes omnino, qui voce propria canerent. Secundum tibiis, & similibus instrumentis deputari. Tertio dari citharas, lyras, cimbala, atque omne quod percutiendo canorum esset. Quin etiam sonos naturales complures constat haud esse continentes, & perpetuos, sed morulis discretos, atque intermixtos: motus enim terra, & per eos editi soni sunt varij, & ex intervallo se excipiunt inuicem: Pulchre Plinius l. 2. hist. natural. c. 82. magna differentia est, & in ipso genere motus: pluribus siquidem modis quatitur. Tuiusmodi est, cum vibrat crispante edificiorum crepitu, & cum intumescit assurgens, alternoque motu residet innoxium, & cum concurrentia tecta contrario ictu arietant; quoniam alter motus alteri renititur. Fulmina quoque sonum edunt dissimilem, ac non continuum, sed potius interruptum instar ligni viridis, cum in rogi inicitur identidem crepantis: Ita perbellè ex Aristotelis sententia describitur Seneca lib. 2. Natural. quæst. cap. 12. Sic ille terrarum vapor, unde ventis origo, est quia coacernatus est, cum coitu nubium vehementer impactarum à latere eliditur: deinde ubi laui ferit nubes proximas, plaga, & cum sono inicitur: qualis in nostris ignibus redditur cum flamma vitio lignorum virentium crepat. Et, ut ille spiritus habens aliquid humidi secum, cum est conglobatus, rumpitur flamma, eodem modo spiritus ille, quem paulo ante exprimi collisis nubibus dixi, impactus aliis, nec rumpi, nec exilire silentio potest. Dissimilis autem crepitu sit ob dissimilem impactationem nubium. Quæ autè rerum sensibilibus ratio, eadem, & insensibilibus, atque incorporearum: Nihil frequentius inter scholasticos B. Augustinum, ac Thomam secutos, quam Angelorum operationes immanentes, quibus intelligunt, amantque, tempore discreto mensurari. Quorum ergo successio discreta, aut discretio successiua soli assignatur orationi? Cur præter eam contra numerum permanentem non distinguuntur plures aliæ species quantitatis successiue, ac discretæ, hæc si ad prædicamentum quantitatis verè pertinet? nam, si non; eam multifariam diuidi, atque per varias species explicari nihil refert.

78 Sexto argumentantur alij: oratio non est aliud, quam multi soni dearticulati, atque ad aliquid significandum ab hominibus destinati: sunt ergo entia; non vero simpliciter ens: hoc ergo solum cum sit diuisum in decem illas classes rerum, videlicet substantiam, quantitatem, &c. haud poterit esse quantitas, quod non sit ens; adeoque oratio, ut veram entis rationem sortiri non potest, ita nec etiam quantitatis. Tandem alij: quod est in prædicamento quantitatis, eiusque vera species, hoc ipso debet esse ens per se, & non per accidens: oratio autem est ens per accidens, quandoquidem eius partes, multæ videlicet syllabæ, multæve dictiones haud vniuntur inuicem.

79 Horum tamen non est valde operosa responsio. Ad primum, secundum, & tertium argumentum respondeo; idem semel esse posse in diuersis prædicamentis penes diuersas rationes formales: ut sapientius

pius suppositum est, atque probatum: quocirca, quod oratio spectet ad prædicamentum qualitatis, prout sonus; actionis, & passionis, prout motus; eius, quod dicitur quando, prout diu vel breuiter durans, haud obest, quominus sit in prædicamento quantitatis, eiusque vera species, quatenus habet partes entitativæ extensas, aliasque in aliis neutiquam clausas: Cur autem non sit illa species quantitatis, quæ dici solet tempus, tamen syllaba longa, vel brevis eam multiplicata constituens non sine respectu ad temporis moram ita dicatur; inde oritur, quod tempus sit notio quantitatis successivæ continuæ, oratio vero successionem potius discretam importet.

80 Ad quartum respondeo; orationem, de qua controuersia, esse ens rationis, & opus animæ, non, quod sit formaliter sumpta quidpiam chimericum, & fictitium ut nonnulli confingunt, sed quod ab actu aliquo rationis, voluntatisque humanæ arbitrio illius prodeat vis, atque significatio, hæcque alia esse potuerit, si primis idiomatum libuisset inuentoribus: Hic autem latior entis rationis modus, vel excludere nequit ab ullo prædicamento, vel certè ab eo solo, quod dici solet physicum, quodque magis pressum est, non vero ab illo, quod metaphysicum dici nobis placuit, & fortassis etiam aliis est placitum.

81 Ad quintum respondeo, præter orationem plures esse quantitates, discretas, successivas, ac tot profecto, ut merito possimus Augustini lib. 5. de ordine cap. 5. verbis exclamare: *Quis neget Deus magne re cuncta ordine rationis administrare? Quam se omnia tenent, quam raris successibus in nodos suos vrgentur, quanta, & quam multa facta sunt, ut hæc loqueremur, quanta sunt ut te inueniamus? Vnde enim hoc ipsum nisi ex rerum ordine manat, & ducitur quod illum sonum aduertisti, &c.* Alludit autem ad sonum aquæ pone balneas præterfluentis, qualis solet edi, quando contingit, *alicubi folia cuiuscumodi, qua autumnio perpetuo, copioseque decidunt angustis canalibus intertrusa euinci aliquando, atque cedere: ubi autem vnda, qua urgebat pertransierit; rursum atque stipari: aut aliquid aliud vario casu foliorum natantium fieri, quod ad illum fluxum, nunc refranandum, nunc emittendum similiter valeat?* Hæc idem Augustinus lib. 1. de ord. cap. 3. de sono illo fortuitu interrupto, ac morulis fracto, eius autem instar sunt alij complures.

82 Cæterum omnes, siue rati, statique in rerum natura, siue temere facti, & siue naturales, siue artificiales, vna sola oratione exempta, omittuntur in præsentia; non, quod veræ quantitatis rationem minime obtineant, quantavis successione discreta prædicti; sed quod inter eos nullus adeo sit nobis necessarius, ac familiaris, atque oratio, qua tum ad reliquos omnes sonos, tum etiam ad quasvis alias res explicandum vtitur: nullus adeo perfectus, cum cæteri ferme sint inanes, quo autem loquimur sit vitalis, & animatus: nullus denique adeo nobis notus, exploratusque: nam, si fortuitos demas: de quibus prout eiusmodi, nec, nisi prout rationem aliquam communem, & essentialem nullique contingentia obnoxiam participant, nulla est scientia, quantum est quod de aliis scimus? Quis telluris, cum quatitur fremitus, ac murmura, quis tonitruum vicissitudinem, & alterationem perfectè assequitur? &, cum orationem, locutionemve gentis suæ omnes teneant, quotusquisque tres superiores artificiales soni species caller? His ergo de causis oratio sola ab Aristotele, & asseclis dici consuevit secunda species quantitatis successivè discreta, siue, quod perinde tempus discretum, tamen hoc, sicut & prior illa notio ei affinis, alia plura, præter orationem, comprehendat.

83 Hoc pacto tempus continuum à Philosophis definitum solet, numerus motuum celestium: non quod quivis alius motus tempus non censui, illudque à celesti distinctum. An enim, ut rectè Augustinus libro vndecimo confessionum, capite vigesimo tertio, *si cessarent cali lumina, & moueretur rota figuli, non esset tempus, quo metiremur eos gyros, & diceremus, aut equalibus morulis agi, aut si alias tardius, alias velocius moueretur, alios magis diuturnos esse alios minus? Aut, cum hoc diceremus, non & nos in tempore loqueremur, aut non essent in verbis nostris, alia longæ syllaba, alia breues quia ille longiori tempore sonuissent, ista breviori?* Sed, quod inter omnes motus ille, quo conuertuntur caelestes orbis, sit & nobis magis necessarius ad vitam, & magis notus, ac longè præcellentior, propter eius perpetuam vniuniformitatem, & perpetuitatem vniuniformem. Ad duo postrema argumenta, capitis præcedentis in fine, responsum est in simili.

## CAPVT IX.

## De proprietatibus quantitatis.

84 Explicatis speciebus quantitatis, restant explicandæ, quas Arist. assignauit eius proprietates; aut certè quas non reiecit, nec potuit merito. Prima circumferri solita est carere contrariis. Contra quam obii-cies primò: eadem quantitas haud potest esse simul magna & parua; potest autè esse modò parua, & postea magna, vel è conuerso additione, seu detractioe partium: magnitudo ergo contrariam habet paruitatem, & hæc magnitudinem, cum tamen vtrique sit quantitas. Obii-cies secundo; & eodem redit: augmentatio, & diminutio sunt motus contrarij: contrarios ergo terminos respiciunt: eorum autem termini sunt quantitates, corpus videlicet magnum, & paruum: quantitas igitur vna subit cum alia contrarietatem.

85 Obii-cies tertio: eadem quantitas potest nunc esse continua, nunc discreta, prout nimirum eius partes separantur, vniunturque; simul autem vtramque denominationem non admittit, sed potius reiecit: continuatio ergo, & discretio, quæ sunt differentiaæ essentielles quantitatis contrarietatem subeunt, adeoque subiiciuntur ei quantitates ipsæ eiusmodi differentia constitutæ: haud enim candor, & nigredo opponuntur contrariè, merito rationis genericæ coloris, sed beneficio differentiarum; hæcque sufficiunt, ut alteri sit contraria altera: similiter ergo in præsentia, &c. Obii-cies quarto: locus supremus, & infimus sunt contrarij, cum contraria definiri soleant quæ sub eodem genere maxime distant; sub genere verò loci, ille, qui sursum dicitur, & qui deorsum maximam habent distantiam: imò per analogiam ad filam quæcumque alia censeantur inuicem distare: atqui vterque locus est quantitas: hæc ergo non caret contrario eoque intra genus, non modò quantitatis, sed aliud magis propinquum, nempe locum. Obii-cies quinto: nequit idem paties v. g. habere superficiem albam, & simul superficiem nigram vnamque frigidam, & aliam vel eandem ibidem calidam: vna ergo superficies opponitur alteri ac proinde & vna quantitas alteri: nisi verò in quantitatibus non sit numeranda superficies.

86 Obii-cies sexto. Candori est contraria nigredo: at candor seipso est quantus habetque partes vnas, entitativè extra alias, & inuicem distingui natas: quantitati ergo alicui est contrarium aliquid. Obii-cies

cies denique ex opposito fundamento. Quantitas distinguitur realiter à materia prima, & accidentibus ceteris: nequeunt autem plures quantitates vni idemque materia simul inesse, aut hæc eis ex æquo subesse: sunt ergo contraria inuicem: dempta namque contrarietate, quidni possent in eodem subiecto componi?

87 Ad primum obiectum respondeo; si fieri posset, vt vna, eademque quantitas esset, nunc magna, & postea parua, magnitudinemque cum paruitate, aut hanc cum illa commutaret; fore etiam, vt magnitudini, adeoque quantitati esset aliquid contrarium; cum contraria sint, quæ se inuicem ab eodem subiecto expellunt. At secus contingit: namque accessio nouarum partium, ac pristinarum diminutio faciunt, vt non sit eadem magnitudo, aut quantitas, sed diuersa: nunquam ergo esse potest, vt eadem quantitas ex magna fiat parua, aut ex parua è conuerso magna, harumque denominationum vicissitudinem subeat vllam, sicut ad vnius quantitatis cum alia contrarietatem oportet.

88 Quocirca parum obest, quodd eadem quantitas nequeat esse simul magna, & parua: tum quia, præter huiuscemodi impossibilitatem vtriusque effectus formalis, opus erat præterea illorum successione, & alternatione quadam, vti superius insinuat; tum etiam, quia idem animal v. g. nequit esse simul homo, & equus: quis tamen propterea dicat, hominem & equum propriè contrarietatem denique quoniam eatenus esse non posse eandem quantitatem simul magnam, paruaque esse posset argumentum alicuius vtriusque contrarietatis, quatenus quantitas eadem posset esse subiectum magnitudinis solius, aut solius paruitatis, & non ambarum simul: omnis enim contrarietas est in ordine ad verum, propriumque subiectum: atqui magnitudo, & paruitas, quamuis semel conuenire nequeant eidem quantitati, eam tamen velut, subiectum, & causam, materiam non respiciunt, quippe quæ ab ea sunt indistinctæ: quantitas enim haud per aliud à se distinctum, sed per se, suasque partes, seu plures, seu pauciores est magna, ac parua, vt luce magis claret.

89 Hæc dicta sunt de magnitudine, & paruitate absolute, & magis pressè sumptis. Quoniam autem vulgò sumuntur aliter, nimirum relatiuè, idcirco respondeo secundò; iuxta posteriorem hanc earum usurpationem, quæ quidem est magis familiaris, & vsitata, vt iam iam dictum, eas nequaquam esse contrarias, sed potiùs simul eidem rei competere, nec si non competere, sed potiùs inuicem essent oppositæ, id minime nobis obstiturum, quandoquidem ita usurpatæ, non quantitates sunt, sed magis ad aliquid: hanc solutionem tradit Aristoteles cap. de quant. eamque latè, & optimè explicat Aug. de categoriis cap. 10. in hæc verba. *Illud tamen speciale debemus agnoscere quanto contrarium nihil esse. Epiphania enim, siue gramme, siue duobus cubitis, siue tribus contrarium est nihil. Nisi forte errore quodam multum, & exiguum putemus esse contraria, non aduertentes hæc in eorum numerum, quæ ad aliquid dicuntur debere transferri. Nihil enim multum, vel exiguum dicitur, nisi alteri fuerit comparatum. Cum enim dicimus mortem breuem, grandiore esse alterum, cui comparatus est, indicamus. Vel cum dicimus grande milij granum, comparatione sui generis, in quo breuius aliquid inuenitur, illud esse grandius monstramus. At propterea manifestum est multum, & exiguum, grande, & breue cum aliquo comparata sui vocabulum reperire. Nec in hoc solo errat, qui putat multum & exiguum quanto debere coniungi, verum etiam si existimet esse*

*contraria, quod fieri penitus non potest, nam si hæc quodam errore decepti contraria dicimus, fiet, vt in vna re vno, atque eodem tempore contraria videantur incidere. Vna enim res, & maior à minore, & breuius à maiore vno, atque eodem tempore poterit nominari: quod fieri, nec rerum natura patitur, nec ratio ipsa permittit. Ac propterea eorum repellenda sententia est qui hæc credunt esse contraria. Hactenus ille.*

Ad secundum obiectum respondeo augmentationem, & diminutionem bifariam sumi posse. Primò, vt altera sit acquisitio nouæ quantitatis, & altera illius iactura, & amissio: atque ita, vel non opponuntur, cum fieri possit, vt eodem tempore articulo vna quantitas difluat, & per aliam reparetur, vel si opponuntur, ac non sermo sit de accremento vnius quantitatis, & decremento alterius, sed de vnius, eiusdemque, oppositio quidem vtriusque motus erit, non positiua, sed priuatiua: quare etiam si inteteret inter duas quantitates, nihil referret, cum non de quavis lucta quantitatum, sed de sola contrarietate sit in præsentia quæstio: nec verò inter eas interest, sed inter quantitatem, & carentiam illius in indiuiduo, & atomo, vt aiunt, usurpatæ, quarum quidem altera est terminus ad quem augmentationis, & altera diminutionis.

Secundò hæc pressius accipi solent vt vna sit motus à minori ad quantitatem maiorem, quo nimirum plus abiicitur quantitatis, quàm erat antea comparatum, & alia motus, quo contra plus accedit denovo quantitatis, quàm fuit antea deperditum, & quod fuit amissum, non compensatur modò, sed etiam cum scenore redditur: atque ita quantitates ad quas tendit vterque motus, sumptæ positiuè, sunt, non aliud, quàm magna, & parua, has autem non opponi, sed diuersas esse, constat ex dictis paulò suprà: vnde motus ad eas euntes haudquaquam sunt oppositi, sed potiùs alter via ad alterum: quo pacto alteratio remissa, qua producit calor vt tria, & intensa, qua calor vt octo, simul contingunt, & vna solet gradum facere, viamque munire ad aliam; tantum obest, vt opponantur inuicem, vel secundum se, vel penes terminos, contra verò negatiuè sumptæ sunt ex vna parte quantitas minor tantum, ac prout importat carentiam maioris, & ex alia maior prout entitate sua positiuè eiusmodi carentiam remouet: liquet autem hoc pacto eas non esse obnoxias alicui contrarietati, de qua in præsentia sermo, sed duntaxat oppositioni priuatiuè, & quod caput est, hanc non inter quantitates quatenus tales, intercedere, sed inter quantitatem, & eius carentiam, de quibus haud loquimur.

Ad tertium respondeo; diuisionem illam quantitatis in continuam, & discretam esse forsitan subiecti in accidentia, ac non fieri per differentias essentielles, & específicas iuxta dicta superius cap. 5. non multum ab initio: quo totius argumenti cardo conuellitur, diluiturque fundamentum. Rursus finge verum illud esse, quod supponitur, ex quo non supposito nullum sit argumenti robur; inde profecto tantum colligi poterit, duas quantitates negatiuè sumptas, & prout vna inuoluit carentiam aliquam, & separationem, alteri opponi, secus verò penes suas entitates positiuas, quæ quidem solæ vertuntur in controuersiam.

Ad quartum respondeo cum P. Suares disp. illa 61. metaph. sect. 5. num. 3. fine, locum supremum, & infimum contrariari improprie tantum; nec nisi hanc contrarietatem laxam, & alienam, in foliaque diuersitate sitam definiri per distantiam sub eodem genere

nete maximam. Responderi etiam posse cenſeo, contrarietatem eorum locorum eſſe veram, & ſtri-  
ctam, ſed æquiuoce reſpectu eius, de qua modo di-  
ſputamus: vnius enim definitio eſt, qua aliqua ſe  
ab eodem ſubiecto mutuò expellunt, alterius verò,  
qua aliqua ſub eodem genere maximè diſtant: æqui-  
uoca autem ſunt, quorum, & ei nomen commune ſit  
definitio tamen, ac ſubſtantia ratio eſt omnino di-  
uerſa. Atque hanc ſolutionem præter alios indicat  
Auerſa q. 18. log. ſect. 9. §. ſolum videbantur. Ter-  
tio responderi poſſe arbitror, locos illos, aut vbita-  
tes, ſive intrinſecas, ſive potiùs extrinſecas, am-  
bientefque ſuperficies, ſi ſumantur prout rem alicu-  
bi conſtituunt, contrariari inuicem, cum fieri ne-  
queat, vt vna vbitas ſimul cum alia corpus aliquod  
afficiat, vnàque illud deorſum premat, & alia ſur-  
ſum euehat, poſſint verò non ſimul, ſed ſucceſſiue &  
ex intervallo: vnde nihil illis deſt, quominus ſe ab  
eodem ſubiecto mutuò expellant: ita verò ad prædi-  
camentum vbi ſpectant, non verò quantitatis: hæc  
ergo eo ex titulo non eſt vlli ſubiecta contrarietati:  
ſin autem prout habent partes extra partes, & en-  
tatiue extenſas eſſe in genere quantitatis: cæterum  
ob id nulli obnoxias contrarietati, cum non ex mul-  
tiplicitate partium, ſed ex cuiuſvis earum natura, &  
immobile quodam ſitu oriatur, quod ſe ab eodem  
corpore expellant, nec in vno poſſint morari. Deni-  
que reſpondeo cum Conimbricenſibus noſtris cap.  
6. de prædicam. in explanat. textus locum ſupremum,  
& infimum dici multoties relatiue: vt ſupremus ſit,  
qui multis eſt ſuperior, & infimus, qui non paucis  
inferior, vt nuper in ſimili dictum eſt, inter agen-  
dum de magno & paruo quocirca eundem locum  
dici poſſe ſupremum, & infimum intuitu diuerſorum:  
adeoque denominationes hæc non opponi contrariè;  
nec ſi opponerentur eſſe adungendas quanto, ſed  
relationi, quam contrarietatem ſuſcipere palam eſt,  
& oftendetur à nobis in tempore.

94 Ad quintum reſpondeo; quemadmodum Petrum  
eſſe ſimul hominem, album, nigrumque, & cali-  
dum, ac frigidum, neutiquam eſt homines villoſos,  
eorumque ſubſtantias propriam ſubire contrarietatem,  
vt certo certius, ſed duntaxat ei ſubiici albedinem,  
& nigredinem, calorem, & frigus; ita ſimiliter,  
quod nequeat idem paries obduci ſuperficie alba, &  
nigra, calida, & frigida, nequaquam eſſe argumen-  
tum contrarietatis per ſe, ac ſtrictè inter ipſas ſuper-  
ficies, & quantitates, ſed ſolius per accidens, & im-  
proprie quatenus nimirum ambæ ſubſunt qualitati-  
bus contrariis.

95 Ad ſextum reſpondeo, quidquid ſit an albedo  
v.g. ſit quanta per ſe, vel per accidens, & ſui vel alte-  
rius munere (modò namque meam non interpono  
ſententiam) eam non, opponi nigredini, nec hanc  
illi prout ſunt ambæ quantæ quomodolibet, ſed ſo-  
lùm prout qualitates quædam, eæque perfectæ, &  
gradum præcellentem ſortitæ: Fac enim candorem  
aliquem eſſe indiuiſibilem, tum intenſiue, tum etiam  
extenſiue, & nihilominus perfectiorem quàm ſi mul-  
tis eſſet diuiduus partibus: perfectio cuiuſmodi albedo,  
cuius poſſibilitas ſaltem in alia rerum ſerie nequit  
abſolui, foret contraria nigredini, at non quia quan-  
ta, quippe quæ eſſet, ſi daretur omnis expers diuiſi-  
bilitatis: ergo quia qualitas quædam: hæc igitur, &  
non quantitas eſt quæ ſubit contrarietatem cum alia  
ſui generis.

96 Ad poſtremum reſpondeo; quantitatem à materia  
& cæteris accidentibus diſtinctam (vt modò magis  
permittitur diſputandi gratiâ, quàm præciſe conce-  
ditur) haud poſſe, ſi ſit multiplex in eodem replica-

ri ſubiecto proinde eo nomine contrarietatem quan-  
dam magis latam, non tamen omnino improprie  
ſuſcipere: cæterum non eſſe admodum proprie con-  
trariam vnâ alteri, propterea quòd nunquam poſſit  
contingere, vt vna quantitas expellat aliam ab eadem  
materia, ſed potiùs omnis ſit ei cui ſemel ineſt coæ-  
ua, ab eaque ſeparari neſcîa. Idcirco autem eſt maior,  
ac rigoroſior contrarietas illa, & incompoſſibilitas,  
quæ tollitur; quia difficilius, vt aiunt, reiicitur, quàm  
non admittitur hoſpes, & plus conſequenter eſt, duas  
formas ita eſſe inſtitutas, vt vna non admittat etiam  
in eodem ſubiecto, eamque inſuper poſſit excludere,  
ſic vbi illam inueniat, quàm, ſi ſolum habeant non  
poſſe coniungi, in eademue ſede morari. Hactenus  
de prima proprietate quantitatis, quæ quidem eſt  
ſecundo modo tantum, cum conueniat omni quan-  
titati, non tamen ſoli formæ, namque ſubſtantiales  
contrarietatem mutuam exercent: & circa idem ſub-  
iectum belligerantur inuicem.

97 Secunda proprietas quantitatis eſt, non ſuſcipere  
magis & minus: aut enim eſt fermo de quantitate  
continua; atque dici nequit, vnâ quantitatem tri-  
cubitam, verbi, gratia, eſſe magis, minusue tricubi-  
tam, quàm aliam: aut de quantitate diſcreta, ſive  
numero; atque intelligi non poteſt quinque caloris,  
verbi cauſa, gradus eſſe magis, minusve quinque,  
quàm alios quouſvis. Cuius ratio à priori eſt; quan-  
titem non eſſe capacem inſentionis gradualis, ſic-  
rique non poſſe, vt perfectiatur extenſio bicubita in  
ratione talis vlla partium additione; quauis enim  
faciat eam non magis bicubitam, ſed aliam diuer-  
ſam, & de bicubita tricubitam, aut alterius men-  
ſuræ; vtve numerus quinquarius graduum caloris in  
ratione talis perfectiatur vlla aliarum vnitationum acceſ-  
ſione; quicunque enim accedat, iſ hoc ipſo nume-  
ri illius eſſentiam enertet, & de quinario ſenarium,  
ſeptenarium, aliumve reddet. Eodem modo quan-  
titates illæ ſunt remiſſionis incapaces, & ſi alterutri  
partes aliquæ depereant earum eſſentia potiùs varia-  
bitur, quam committetur, vt vni minus conueniat,  
quàm alteri. Alia eſt ratio qualitatis, verbi gratia,  
albedinis in concreto, ſive albi: nam vnũ ſub-  
iectum dicitur magis album, quàm aliud, vnũque  
minus album alio: nec mirum, cum qualitas omnis  
ſaltem phyſica gradibus poſſit intendi, eorumque  
acceſſu perfici, & reſeſſu minui, ac remitti in ſe, &  
prout qualitatis rationem obtiner.

98 Tertia proprietas quantitatis, vtique permanentis  
eſt raritas, ac denſitas, quauis enim ſint qualitates,  
aut vbitates, id non obſt, quominus quantitatem  
afficiant: quod namque eſt in vno prædicamento  
poteſt, & ſolet eſſe attributum quoddam, atque af-  
fectio eius, quod eſt in alio: ſic accidentia omnia  
attribuuntur alicui ſubſtantia: ſic relationes quæ-  
dam, de quibus poſtea, quantitati: ſic alia qualita-  
ti: Nihil autem refert, ab Ariſtotele rarum, den-  
ſumque prætermiſſa fuiſſe inter numerandas quanti-  
tatis proprietates: haud enim ei propoſitum fuit,  
omnes recenſere. Quarta proprietas quantitatis,  
ſublunaris vtique, eſt grauitas, ac leuitas: quas  
quodammodo ſumptas eſſe qualitates non obſtat, vt  
proximè declaratum.

99 Quinta quantitatis proprietas eſt, habere, vel  
non habere poſitionem partium. Poſitionem autem  
dico cum Auguſtino in categor. c. 10. cum videmus cu-  
iuſque rei dexteram, leuam, ſuperiora, inferiora, ante,  
poſt, longe, iuxta. Vt autem ibidem explicat Augu-  
ſtinus, numerus, tempus, & cum eo motus, atque  
oratio carent poſitione: numerus quidem, propter  
diſcretionem, quæ facit, vt vnâ pars non apponatur,  
iungaturue

iungaturvè alteri; cætera, propter successionem, quæ simultatem, adeoque positionem impedit: contra verò linea, superficies, corpus, & locus positione gaudent, quia nihil habent, quo possit ea impediri, & multum, quo promoueri. Sexta proprietates quantitatis est asperum, & lene. Septima figura; octaua situs. Sed missis istis quæ minoris sunt operis, aggrediamur alias magis difficiles, & operosas.

C A P V T X.

*Duæ alie proprietates quantitatis explicantur.*

100

**N**ona affectio quantitatis est, esse æqualem, vel inæqualem alteri. Quam ei conuenire, soli, omni, ac semper, adeoque esse quarto modo, & maxime propriam tuentur Augustinus, Aristoteles, Thomas, ac cæteri omnes dialectici, quorum sententia mihi etiam probatur. Quò tamen loculentius constet, obiciis aduersus eam primò. Ponderus vnum est æquale alteri haud rarò, necnon alteri in æquale multoties: at non est quantitas, quamuis enim inter eius species illud esse numerandū, ac cæteris superius recentitis adiiciendum censeant Archytas Tarentinus antiquissimus Philosophus, & simplicius cap. 6. de prædicam. ac Sotus ibidem q. 1. in solutione ad quantum; cæterum spectare potius ad prædicamentum qualitatis si prout ponderus est, spectetur, sententia est B. Thomæ 13. metaph. sect. 15. in hæc verba *secundum veritatem graue, & lene non pertinet ad quantitatem, sed ad qualitatem*; Suar. disp. 61. metaph. sect. 5. num. 10. Fons. 5. metaph. cap. 13. q. 13. Conimb. de quant. q. 2. art. 3. Rubij q. 3. n. 11. Raphaelis Auerfæ q. 18. log. sect. 9. & aliorum ferme omnium.

101

Suaderi autem potest, in hunc modum. Grauitas, & leuitas sunt potentia motrices quarum altera sursum, corpora rapit, & altera è contrario deorsum: potentia autem ab omnibus inter species qualitatis numeratur: talis ergo est, cum leuitate grauitas, siue ponderus: non ergo quantitas, nisi fortè sub alia ratione formali distincta à pondere. Rursus iuxta Aristotelem lib. 1. de cælo text. 28. & lib. 2. text. 3. cæli carent grauitate, & leuitate: at habent magnitudinem, molemque & quantitatem perfectè, & secundum omnes eius species: grauitas ergo, siue ponderus haud est quantitatis species. Vltèrius leuitas non est species quantitatis: ergo nec grauitas, siue ponderus: vero namque verius apparet vtramque vnius generis esse oportere species, non aliter, atque vtriusque centrum, videlicet locus, qui dicitur sursum, & qui deorsum ad vnum attinet prædicamentum, nempe quantitatis, aut vbi, aut certè alterutrum secundum aliam, aliamque rationem formalem, vt superius explicatum est. Tum etiam duorum corporum, ligni, v. g. alicuius & lapidis, æqualis esse potest extensio, & quantitas, atque inæquale ponderus: hoc ergo prout tale nihil habet cum quantitate comereij. Denique aduersus eos, qui ponderus à re ponderosa realiter distinctum volunt, id ipsum sic potest probari: aer, siue ad cauernas, ac latebras telluris descendat, siue ad superam suamque regionem ascendat, semper est eiusdem quantitatis: at non eiusdem ponderis, sed interdum minoris, & aliquando maioris, prout nimirum fertur sursum, aut deorsum: haud igitur ponderus eius, & quantitas sunt idem reuera. Propterea autem vlt.

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

tima hæc ratio, non nisi suppositis quorundam authorum principiis conficitur, quoniam probabilius forsitan est pondus non distingui realiter à substantia rei ponderosa, & hac inuariata nullam æqualitatem, aut inæqualitatem esse posse: quare à causis extrinsecis provenire, quod elementum aëris, vel etiam ignis diuersa loca petant, non verò ex eo, quod illorum qualitates motuæ remittantur intendanturvè sensim.

Obiciis secundò aduersus eandem sententiam: **102** duæ animæ, aut fortasse etiam duo Angeli sub eadem specie sunt æquales; & nihilominus sunt, vt corporis, sic etiam quantitatis expertes: similiter artes, scientia, ac virtutes dici solent esse æquales aut inæquales in diuersis hominibus. Obiciis tertio: quantitas in communi comprehendit omnes nulla dempta: haud ergo est realiter distincta: haud igitur vlli æqualis, vel inæqualis, quandoquidem hæ relationes nisi inter extrema realiter distincta possunt intercedere, nihilque sibi imit ipsi æquale vel inæquale esse sustinet. Obiciis quarto: si vna tantum esset à Deo creata quantitas (quod haud magis est difficile, quàm si, pro eo ac posset, nullam omnino creasset) ea, nec esset æqualis, nec inæqualis alteri. Relatio enim prædicamentalis termini postulat existentiam: tum autem nulla quantitas existeret distincta ab illa, cuius ex hypothesi procedit argumentum, nulla, quæ posset æqualitatem, aut inæqualitatem terminare. Duobus prioribus argumentis confici videtur, non soli quantitati conuenire eiusmodi relationes vagè sumptas; duobus vero posterioribus non omni.

Et verò ad primum respondeo, ponderus bifariam **103** sumi: nempe prout est potentia quadam loco motu, & vis corporum deprimens: deinde, prout habet partes entitatiuè extensas, ac per veram distinctionem extra se inuicem: priori intellectu est qualitas, & inter huius species refertur ab Arist. libro 5. metaph. cap. 14. text. 19. *Item quacumque substantiarum, quæ mouentur passionibus, vt caliditas, & frigiditas, albedo, & nigredo, grauitas, & leuitas, &c.* Posteriori verò intellectu est quantitas, & huic accensetur ab Aristotele eodem lib. 5. metaph. cap. 3. *quadam passionibus, & habitibus huiusmodi substantiæ sunt, vt multum, & paucum, longum, & breue, latum, & profundum, & humile, & altum, graue, & lene, &c.* Quamquam autem ad quantitatem physicè, ac præse sumptam opus sit partibus realiter distinctis, aut certè distingui natis; cæterum ad quantitatem metaphysicè, & latius usurpatam sufficit distinctio rationis partium: quò fit, vt, si ponderus est substantia rei onerosa, adeoque graduum realiter distinctorum incapax, eos tamen ratione distinctos admittat, possitque dici quodammodo, vt duo, vt tria, vt quatuor, vt sex, &c. ac proinde numerum, & quantitatis rationem aliquam subire, sin autem est accidens realiter distinctum à substantia rei quam deorsum cogit, & consequenter gradibus realiter diuiduis constans illud à fortiori quantitatis rationem, ac non metaphysicam modo, sed etiam physicam fortiri: quamuis ergo conueniat æqualitas, & inæqualitas ponderi, non tamen alia à quantitate, non nili ei soli.

Ad secundum argumentum similiter respondeo: **104** duas animas rationales, duosque Angelos eiusdem speciei, scientias item, artes, ac virtutes æqualitatem subire, at non prout qualitates, aut substantias, sed penes diuersam rationem formalem, & quatenus sunt quantitates quadam: quod enim corpore vacent ac terrena concreione, so-

M lam

lam ab eis quantitatem physicam, & sensibilem, non verò metaphysicam, & sensibus imperuiam reicit: cum prior illarum partes conferat realiter distinctas; posterior verò perfectiones sola ratione multiplices, quas in Angelis, animabus, eorumque dotibus quis audeat, inficiari? Porro tamen Suarez. Fons. & Rubius locis suprà citatis, alique plures solam priorem censeant esse propriè quantitatem, posteriorem verò impropriè tantum, ac solius consortio nominis: ceterum non est improbabile, vtramque veram esse, ac propriam quantitatem, licet altera dicatur eiusmodi æquiuocè respectu alterius.

105 Ad tertium respondeo: aequalitatem, & inæqualitatem esse proprietatem quantitatis, non tamen prout communiter supponit, sed quatenus singulariter, vt sensus sit, nullam esse quantitatem in particulari, quæ non sit, esseve possit alteri æqualis, aut inæqualis quare, cum nullus non, perinde sit atque, *omnis*, iuxta regulas æquipollentiarum, omnis quantitatis proprium esse, vt sit æqualis, vel inæqualis alteri alicui: quando ergo ratio communis denotatur syncategoremate *omnis*, non mirum esse, si Ducatur, alterutram relationem esse quandam affectionem quantitatis in communi.

106 Ad quartum respondeo imprimis quantitatem quæ esset vnica à Deo creata, ex toto sumptam, fore inæqualem singulis suis partibus: quamuis enim ab eis non posset realiter adæquatè distingui; at posset inadæquatè; eaque distinctio sufficeret ad relationem inæqualitatis. Sic Euclides lib. 1. & cum eo reliqui Mathematici, atque etiam Philosophi; *Totum sua parte maius est.* Sic Aug. lib. 10. Confes. cap. 6. *Moles minor est in parte quàm in toto.* Et lib. 6. de Trinit. cap. 6. *Corpus vniuersum vtiq; partibus constat, ita, vt sit ibi alia pars maior, alia minor, & maius sit vniuersum, quàm pars qualibet, aut quantalibet: Nam & cælum, & terra partes sunt vniuersæ mundanæ molis: sed & sola terra, & solum cælum innumerabilibus partibus constat: Et in tertia sui parte minor est quàm in cætera, & in dimidia minor quàm in tota: & totum mundi corpus, quod duabus plerumque partibus appellari solet, id est cælum & terra, vbiq; maius est quàm solum cælum, aut sola terra.* Mille alia apud alios Partes similia testimonia reperias, sed ista sufficiant. Quocirca non assequor, quo argumento ductus P. Fonseca supra q. 13. sect. 3. defectu distinctionis adæquatæ totum parti suæ inæquale esse negarit. Respondeo secundo, verba cum in definitionibus aliisque pronuntiationis magis aptitudinem quàm actum significant, satis, superque esse ad essentiam Aristotelicam, & communem tuendam, si quantitas illa sola à Deo creata posset esse inæqualis alteri: fore autem, vt posset, est certo certius. Respondeo tertio; relationem prædicamentalem ex genere suo haud possere existentiam termini, vt ostenditur inferius tract. sexto: quomobrem quantitatem, verbi gratia, tricubitam, si sola à Deo crearetur fore maiorem bicubita, & quacumque alia non creata: sicut etiam albedo, etiamsi nulla existeret nigredo, esset ei discolor, ac dissimilis suapte natura. Sed de his in loco.

107 Decima quantitatis affectio est mensura: eam autem illius esse maximè propriam, omnique soli, & semper comperere author est Aristoteles, cum in prædicamentis cap. 6. tum etiam in metaphysica lib. 10. cap. 2. Idem ceteri tuentur omnes. Verum tamen obiciet primò: pondus non est quantitas, sed qualitas, vt superius vixit: atqui est mensura, qua decernitur quanta sit rei magnitudo: lapis enim,

si multum ponderet, magnus esse censetur, si parum, exiguus: quin etiam ponderibus, verbi gratia, talento, libra, vncia quantus sit valor nummi, aurei, argentei colligitur: non ergo solius quantitatis privilegium est, quòd sit aliorum mensura. Obiciet secundo Deus optimus maximus est quantitatis, & accidentis omnis ex-pers, alioqui multiplicem mutationem subiturus: at est mensura rerum creaturarum, lapisque Lydius ad quem earum examinatur perfectio, quantaque sit veluti scrupulari differentia, mirabili ratione non fallente colligitur: quòd namque magis imitantur creatorem, eò sunt perfectiores, & quò minus, eò contra imperfectiores, proutque ad eum gradibus suis accedunt, ab eovè recedunt, sese excellent, aut excelluntur inuicem.

108 Vtraque tamen obiectio repelli facilis est admodum. Prima; si dicatur iuxta superius disputata, pondus haud habere rationem solius qualitatis, sed quantitatis etiam, atque mensuram aliorum esse, non prout qualitas est, sed prout quantitas, & quatenus, vel per plures gradus realiter distinctos, vel per plures ratione distinctos, & realem distinctionem subeuntibus æquivalentes magnum est, aut parum, & vel leviter, vel vehementer deprimens. Secunda verò; si dicatur quantitatem quidem physicam, ac partium realiter distinctarum, aut certè distinguishibilium numerositatem multiplicem cadere non posse in Deum optimum maximum secus, verò metaphysicam, quæ nullas habet partes, aut inter se diuersas, aut à substantia, quæ denominatur quanta, sed dumtaxat plures perfectiones consideratione distinctas: merito autem huius posterioris quantitatis Deum subire rationem mensuræ, ac proinde non esse cur ex hoc secundo titulo dici debeat, aliud quiddam à quantitate posse metiri, & non illam solam.

## CAPVT XI.

## Explicatur ultima proprietas quantitatis.

109 Vndecima, & postrema quantitatis proprietas est, esse finitam vel infinitam. Vbi supponitur, quantitatem, aliam finibus claudi, & aliam nullis coerceri, haud aliter atque, cum dici consuevit, quantitatis proprietatem esse, quòd sit æqualis vel inæqualis, quarundam inæqualitas, & aliarum insinuat æqualitas: quemadmodum autem si nulla quantitas esset æqualis alteri, nullam inæqualis, posterior hæc distinctio reici deberet, ita & illa prior, si nulla esset finita, aut nulla infinita-dini obnoxia.

110 Obiciet ergo contra suppositionem illam, siue hypotheseim, adeoque aduersus proprietatem ipsam distinctionem ei innixam: nihil infinitum potest esse in prædicamento, seu genere quantitatis: quidquid enim est in eo, quidquid in quocumque alio, debet esse finitum: solumque prædicamentalia esse possunt *entia per se se finita realia tota*, vt sapissime animaduersum est superius atque alioqui profecto substantia infinita, cuiusmodi est Deus, esse posset in genere seu prædicamento substantiæ, contra quam Theologi maiori ex parte supponunt: nulla igitur vera quantitas potest esse infinita: antecedens vñà propositum est, ac probatum: consequentia valet, aut non valet regulæ conuersionis simplicis, obiciet secundo Aristotelem lib. 5. metaph. text. 10. Vbi sic facit. *Multitudo igitur quantum quid, si numerabilis est, magnitudo* verò

verò, si mensurabilis. Postulat ergo ad quantitatem vere talem ut sit numerabilis, aut mensurabilis, adeoque finita; fieri ergo iuxta illum nequit, ut sit infinita.

111 Obiicies tertio: omnis quantitas est linea, vel superficies, vel corpus, vel locus, vel motus, tempus, vel denique numerus, aut oratio: nam præter has species quantitatis aliæ non agnoscuntur à Philosophis; imò ne hæc omnes agnosci solent, admittit ab omnibus: at quod nulla earum esse possit infinita, & quod quælibet esse debeat finita, suadet inductione sequenti. Etenim de linea sic ait Euclides lib. 1. elementorum defin. 3. Linea autem termini sunt puncta: sentit ergo de ratione Lineæ esse, ut sit vtrunque terminata, ac finita. Rursus ibidem defin. 6. de superficie sic tradit. Superficie autem extrema sunt lineæ: supponit ergo superficiem omnem extremitatibus claudi. Deinde lib. 11. elementorum defin. 2. de solido, siue corpore sic docet: solidi autem extremum est superficies. Putat ergo, de ratione corporis esse fines, & extrema, adeoque infinitum illud esse non posse. Quapropter dixisse videtur B. Thom. libro 5. metaph. lect. 15. in commentario: si esset longitudo infinita, non esset linea, linea enim est longitudo mensurabilis, & propter hoc in ratione lineæ ponitur, quod eius extremitates sunt duo puncta: simile est de superficie, & corpore.

112 Iam, quod attinet ad locum, non posse esse infinitum, ac debere consequenter esse finitum, facile est probatu. Namque locus iuxta Aristotelem, 4. phys. est superficies corporea rem aliquam ambiens, & circum circa concludens: quæ ergo repugnat superficiei infinitæ, ea in loco nullum habet. Quæ res item, quo colore locus non feruet hac in re leges cæterarum quantitatum continuatum, ac permanentium: aut cur solus infinitudinis privilegium vendicat? Ad hæc: nihil inter Patres magis receptum est, quam Deum esse illocalem, id est nulli loco commensum: ita, ut prætermittantur alij, August. libro 2. de serm. Dom. in monte cap. 9. Ubique præsens est, non locorum spatij, sed maiestate potentia: sed Deus est in spatio infinito, alioqui non futurus immensus: spatium igitur infinitum haud est locus, nec è conuerso locus spatium infinitum, sed potius finibus clausum vindicet.

113 Motus quoque, cum postulet terminum à quo, & terminum ad quem interminatus, siue infinitus esse non sustinet. Tempus similiter infinitudinem reitit, quippe in eo dissidens ab æuo, & æternitate, quod non more huius sit alter vtrunque interminatum, nec more illius vna tenus parte dumtaxat, sed potius vtrâ, & citra finem vendicat. Numerus multo minus esse potest infinitus: perinde namque est, quantitatem esse infinitam, atque esse innumerabilem: numerus autem qui potest esse innumerabilis: id enim esset seipsum dediscere, ac numerum non esse. Oratio denique, quæ sola superest, nequit esse infinita: tum quia est altera, species quantitatis discretæ eam contra numerum distinguens, sicut ergo numerus, ita & ipsa infinitatem refugit: tum, quia tempus continuum, & absolute dictum nequit esse infinitum: ergo nec tempus discretum, cuiusmodi est oratio.

114 Obiicies quarto: omnis quantitas est multitudo, aut magnitudo quædam: ad hanc enim linea, superficies, corpus, & locus reducitur, & ad illam tempus, motus, numerus, & oratio: prior reductio palam est: posterior ita declaratur: tempus est multitudo quædam durationum; motus totalis aliorum partialium, numerus vnitatum, & oratio syllabarum, dictionum.

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

que: atqui nequit Deus producere magnitudinem aliquam, aut multitudinem simpliciter infinitam, ut plures, ac maioris authoritatis scholastici propugnant: nequit ergo Deus quantitatem simpliciter infinitam moliri: sicut igitur, quia repugnat equo, verbi gratia risibilitas, ea de causa nequit illius esse proprietas, ita quoniam infinitas quantitati contraria est, non poterit inter eius censerî proprietates.

Obiicies quinto: etiam si possit Deus producere infinitam simpliciter multitudinem hominum, verbi gratia, atque id permittatur disputandi causâ, eiusmodi multitudo infinita non erit quantitas: infinitas ergo, licet in se non sit repugnans, at repugnat quantitati: ergo & hæc infinitati: quemadmodum enim consensus, & identitas quorumvis prædicatorum est relatio mutua, & reciproca; fierique nequit, ut conceptus aliquis obiectiuus alteri sit idem, & non è conuerso; ita etiam dissensus, & repugnantia prædicatorum necessariò reciprocatur, valetque retrorsum. Primum autem antecedens argumenti, quod eius est veluti cardo, & quo concessio, consequentiæ omnes sunt perspicuæ, suadet hunc in modum: Idcirco numerus, siue multitudo vtrunque finita, atque carcerata est species quædam determinata quantitatis, quoniam vltima vnitas hanc ei gratiam præstat eiusque essentiam determinat, namque si à numero senario verbi causâ; subtrahas postremam vnitatem, aut ne postrema sit additione alterius vnitatis efficias, illico senarius esse desinet, & in alium numerum abibit: Vltima igitur vnitas est, quæ tali numero, & cuius alteri destinata tribuit essentiam, & certam quantitatis speciem. Atqui multitudo infinita non habet vltimam vnitatem: ergo nec destinatam essentiam, aut speciem quantitatis, ac proinde in illius genere esse non sustinet. Quæ autem multitudinis infinitas, eadem & magnitudinis ratio esse videtur.

His objectionibus ita occurrendum est. Primæ quidem; tamen si in prædicamento quantitatis alioque quouis phylisæ, & arctius sumpto nihil esse possit, nisi finitum, ut leges prædicamentales supra tradita cauent, secus tamen se res habet, si sermo sit de prædicamento metaphysicè vsurpato, & latius fuso: quidni ergo infinitum aliquod penes magnitudinem, siue penes multitudinem esse possit in genere quantitatis, sin minus priori illo intellectu, ac certe posteriori? aut cur non è conuerso quantitas aliqua, seu continua, seu numerosa, ac discreta esse possit infinita? Porro autem nihil vrget exemplum substantiæ infinitæ, & increatæ: tum, quia ea quoque est in genere substantiæ secundum metaphysicam eius vsurpationem: tum etiam, quia infinitas eius substantiæ est simpliciter talis, omnemque finitudinem, & imperfectionem reitit: magis ergo est, ut Deum excludat à prædicamento quomodolibet sumpto, quam quantitatem eius infinitas, quæ tantum est secundum quid, ut aiunt, finesque, ut non extensionis, aut numeri, saltem perfectionis admittit. Atque hanc rationem discriminis tradit B. Thom. 1. parte quæst. 85. art. 8. & post eum Rubius noster capite 6. de quantitate quæst. vltima num. 269.

Secundæ objectioni sic occurret: multitudo, ut sit quantitas discreta, debet esse numerabilis, non extor, sed penes singulas suas partes: magnitudo quoque, ut sit quantitas continua, debet esse mensurabilis, non secundum se totam sed quoad partes suas qualeslibet: alterutra autem etiam si non sit finita, poterit ita numerari, ac mensurari: fac enim à Deo creati infinitos homines eorum collectio

M 2

plures

plures habebit multitudines finitas, quarum quævis reduci potest ad certum aliquem numerum: fac itidem longitudinem aliquam immensam à Deo produci; sanè multas habebit extensiones, quarum mensura sit palmus, verbi gratia cubitus, aut quid simile: quamvis ergo de ratione quantitatis iuxta Aristotelem sit esse numerabilem, aut mensurabilem sensu explicato, non tamen, quod sit finita, ac terminis undique, & undique clausa. Rursus dici potest, Aristoteli sermonem fuisse, non de omni quantitate vera, sed de sola, physica, & magis pressa, quando numerum ei ac mensuram præscribit.

118

Tertia obiectioni occurrendum est: ita lineæ (à qua incipit inductio argumenti) essentia, ac ratio formalis iuxta Euclidem lib. illo 1. defin. 2. est, quod sit *longitudo latitudinis expers*: quando verò subiungit, *linea autem termini sunt puncta*. Docet, ut Clavius nostri ibidem in commentario verbis utar, *quam sint extrema lineæ cuiusvis, seu termini: dicens lineam terminari, seu claudi vtrinque punctis, non quod omnis lineæ terminos habeat, quomodo enim lineæ infinitæ terminos assignare poterimus; quæ etiam ratione in lineæ circulari extremum aliquod deprehendimus, sed quod lineæ quilibet habens extrema in suis extremitatibus puncta recipiat*. Quod etiam dicit Euclides de superficie pari modo interpretandum est; illius nimirum essentiam esse quod sit *latitudo, ac longitudo tantum, sue viraque simul, & aliud præterea nihil* ita namque definit 5. eius autem quod statim subiungit; *superficie autem extrema sunt lineæ*, ut recte Clavius noster in commentario sensum esse hunc; *in quacunque superficie, quæ extrema habet lineas cogitare oportet in extremitatibus, non autem in superficie infinita, vel etiam spherica, quæ corpus sphericum circumdat: potest etiam, superficies aliqua claudi, & terminari unica tantum lineæ; qualis est circularis superficies*. Quod item docet Euclides lib. 11. de solido, eius extensum esse superficiem, haud ita accipiendum est quasi velit hanc eius in communi sumptæ essentiam esse, quam potius ibidem collocat in eo, quod *longitudinem, latitudinem, & crassitudinem habeat*. Quin potius ita id accipi debet iuxta Euclidem, sicut lineæ finita non alios fines admittit nisi puncta, nec superficies finita nisi lineas; ita corpus non alios recipiat, nisi superficies quo pacto eum Clavius, & ceteri eius commentatores intelligunt. Quænam autem sit B. Thomæ loco nobis obiecto mens perspicuè colligi potest ex eius verbis. 1. parte questione 85. articulo 8. ad secundum. *Punctum non ponitur in definitione lineæ communiter sumptæ. Manifestum est enim, quod in lineæ infinita, & etiam in circulari non est punctum, nisi in potentia, sed Euclides definit lineam finitam rectam, & ideo posuit punctum in definitione lineæ, sicut terminum in definitione terminati*.

119

Quod spectat ad locum; eum infinitum esse non posse nihil est quod persuadeat. Non definitio Aristotelica loci, videlicet superficies corporea rem aliquam ambiens & complexu suo circumdans: ita namque definitur, non omnis locus, sed dumtaxat extrinsecus, ac finitus. Non etiam leges cæterarum quantitatum permanentium, & continuatarum, videlicet lineæ, superficiæ absolute sumptæ, & corporis: has enim quantitates, si locus imitatur, earumque sequitur leges, magis est ut infinitudinem possit admittere. Non denique Deum spatio commensum in finito nihilominus esse nequire in loco; unde inferri videtur locum esse non posse spatium infinitum; nequit enim Deus esse in loco, si, ut frequens est, locus significet ubi circumscriptum, merito cuius partes rei partibus loci singulariter respondent, aut si

significet spatium extrinsecum, & ambiens, quo terminatur res locata & extra illud nullibi esse finitur: Cæterum, locus prædictis exuatur imperfectionibus, sumaturque pro vbitate infinita, ac reali ipsius Dei ab eius substantia prorsus indistincta, ita quidem eum occupat immensitate sua, quæ etiam replet quodam modo loca omnia imaginaria, eorūque chaos illud & inane quæquæ versus protensum. Sic dicitur lib. 3. Regum cap. 8. *Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, &c.* Et in lib. Iob. cap. 11. *Excelsior cælo est, & quid facies; profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura eius, &c.* Et quidem Aug. supra. citatus aens, Deum ex vna parte esse vbiq; præsentem, & ex alia locorum spatiis minime concludi, hoc perspicuè tradit, Deum esse in loco secundum quendam eius intellectum, & non esse in eo penes alium. Quod etiam spectant Bernardi verba lib. 5. de considerat. ad Eugenium circa medium De eo (videlicet Deo) *comperimus est, quod nusquam sit quia non clauditur loco & nusquam tamen non sit, quia non excluditur loco*. Quæ cum ita sint, illocalitas Dei cum eius immensitate cōiuncta haudquaquam probat locum non esse posse infinitum, non quod finibus quibusdam necessariò cohibeatur.

120

Præterea motum esse potuisse æternum, adeoque infinitum, ostensum est in Physica: haberet autem ille motus, quo v.g. res aliqua ab oriente, & infinities citra ciceretur occidentem versus, & vltra sine fine innumeros terminos à quibus, & totidem terminos ad quos, nullusque ex vna parte terminus esset, unde ita inciperet, quin antea inceperet nullus ex alia in quo ita susteret quin ulterius esset progressurus: quocirca haud esset collectivæ infinitus seu terminatus: duo namque termini possunt terminare, & finire rem atque ex hoc titulo motus omnes quos experimur, sunt finiti, ac terminati: fin autem sunt infiniti termini, qui fieri potest, ut finitudinem tribuant. Deinde tempus cuius est cum motu magna vicinitas strictè sumptum, & quatenus distinguitur contra ævum, & æternitatem debet esse finitum: cæterum prout est species quædam quantitatis latius funditur, & omnem complectitur durationem: atque ita dissecari solet in finitum, & infinitum.

221

Quid plura Numerus physicè, ac magis presse sumptus fines, quibus coereatur, amat, secus verò metaphysicè, & latius usurpatus: quin potius ita infinitudinem admittit: Ad priorem numeri respicitur acceptionem 1. Paralip. cap. 22, *habes quoque* (inquit David ad Salomonem) *plurimos artifices latomos, & cementarios artificesque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos in auro, & argento, & ere, & ferro, cuius non est numerus* Et 2. Paralip. cap. 5. *Rex autem Salomon, & universus cæus Israel, & omnes, qui fuerunt congregati ante arcam immolabant arietes, & boves absque illo numero.* & Esdræ lib. 4. cap. 13. *Et vidi post hæc, & ecce congregabatur multitudo hominum, quorum non erat numerus de quatuor ventis cæli, ut debellarent hominem, qui ascenderat de mari*. Eadem loquendi formula familiaris est, & valde visitata in cæteris scripturis præsertim vero Iobi 9. cap. & Iudith. 2. cap. & in psalmonum libro, psalm. 39. & 103. & 104. & Ieremiæ cap. 46. & 1. Machab. cap. 5. & Genesis capite 32. Ad posteriorem verò Ecclesiastes primo & quarto capite: Illo namque numerus stultorum & hoc populi dicitur esse infinitus. Non me latet, tum primis illis testimoniis, tum etiam his secundis sermonem esse de infinitate non propria, & secundum se, sed impropria, & quoad nos, quæque potius sit imitatio ac similitudo

do infinitatis, & ingens quædam multitudo, quam vera infinitas: Sed nec me latet, translatitiam illam infinitatem perperam explicatum iri per multitudinem, cuius non sit numerus; item absurdè appellatum iri numerum aliquem valde magnum, è conuerso infinitum metaphoricè, nisi numerus vno modo propriam finitatem exposceret, & alio propriam infinitudinem non teneret: quæ namque sunt improprie dicta ab iis, quæ sunt propria, nominis appellationem habent.

121 Rursus transeat, numerum quomodolibet sumptum esse finitum; nihil inde profectò nos contra. Si quidè vti vnica, aut certè potissima quantitatis continuae, ac successiuæ species, videlicet tempus per antonomasiam dicitur motuum cælestium continuas, ac distinctio, & tamen quorumcumque aliorum motuum complectitur moram; & præterea, quemadmodum quantitas discreta, ac successiuè dici solet antonomastice oratio, & tamen quamcumque aliam successione discreta, seu discretionem successiuam comprehendit: Ita similiter quantitas discreta permanens dici consuevit præ cæteris omnibus numeris vti que finitus, propter huius in scientiis & artibus frequentiam, necnon etiam ad vitæ commodam & utilitatem: nihilominus tamen cohibet quamcumque aliam multitudinem, tamen si sit infinita. Quid ergo interest, numerum non posse esse infinitum quando aliæ quantitates, non tantum continuæ, & successiuæ, sed etiam numeri instar permanentes, & discretæ infinitudinem admittunt, terminosque, & fines non deponunt?

122 Tandem oratio nostra externa (par autem est ratio cuiusvis alterius quantitatis successiuæ, ac discretæ) quidni esse possit infinita! talis profectò esset, si homo aliquis à Deo æternum productus nunquam taceret, loquique desineret, haud aliter, atque Pater æternus semper loquitur, semperque verbum sibi coarctum, & consubstantialia producit. En quantenus inductio contraria nullum nobis facessit negotium.

123 Ad quartam obiectionem respondent Suarez disp. 41. metaphys. sect. 5. num. 16. Perierius lib. 10. phys. cap. 9. in principio; quantitatem quidem infinitam repugnare, & nihilominus infinitudinem, esse proprietatem quantitatis in communi: quoniam, inquit, si esset possibile infinitum penes magnitudinem; aut multitudinem, illud inuolueret necessariò quantitatem: nam vt ait Aristot. 1. phys. capite 2. *infiniti ratio quantitate oritur*. Contra tamen primò: quoniam ita dici posset Dei proprietatem esse, quòd sit vnus, vel multiplex: quippè si non repugnaret multiplicitas deorum, ea diuinitatem inuolueret, redderetque multiplicem, non aliter, atque infinitas partium quarundam, aut vnitarum, si per impossibile daretur, non nisi quantitatem denominaret infinitam: at Dei proprietas esse nequit vnitas, vel multiplicitas, sed potius quòd sit sine multiplicitate vnus vt est omnibus in confesso. Contra secundò: quoniam si infinitum suapte natura repugnans nihilominus daretur, esset, & non esset vera quantitas: quemadmodum, si daretur homo chimericus, & vnà rationalis, & irrationalis, esset, & non esset homo. Cur ergo hypotheticè illa affirmatiua suadeat infinitudinem esse proprietatem quantitatis, & non contrà, quæ est negans, arguat illam non esse proprietatem quantitatis.

124 Alij cum Scoto 2. metaph. quæst. 6. respondent; duplicem esse infinitatem, aliam determinatam, ad versus maximum, aliam indeterminatam, ac pro-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

portionalem, siue versus minimum, quarum priorē vocant non pauci infinitatem in actu, & posteriorem in potentia: quantitatis ergo proprietatem esse finitudinem, & infinitudinem, non primo illo modo, sed secundo viurpam. Contra tamen primò, quoniam ita hand oporteret dici quantitatis proprietatem esse, quòd sit finita, vel infinita, sed quòd finita, & infinita: vna siquidem, eademque quantitas palmi v. g. (par autem ratio est aliarum similibus) simul est finita, & etiam infinita eo pacto, quo sumitur in præsentī infinitas iuxta hos auctores. Contra secundò, quia iuxta hanc solutionem non quantitatis in communi, & latissimè fusæ proprietatis esset finitas, vel infinitas, sed solius permanentis, & continuæ: quæ namque est discreta, videlicet numerus, non est infinita versus minimum, sed in prima vnitate consistit eius diuisio, nec ulterius progreditur.

125 Tertiò alij respondent cum P. Suarez disp. & sect. paulò suprà laudatis ac num. 15. sermonem Aristoteli esse de infinitate, non cathegorematica, quæ sit tota simul; hæc enim in se, & quod consequens est, respectu quantitatis repugnat, sed de syncathegorematica, & quæ non sit tota simul, sed penes aliquas partes, easque numero finitas, hanc autem posteriorem infinitatem cuiuslibet quantitati conueniret, quantumuis illa altera nulli possit competere: nam palmus v. g. additione partium crescere potest in infinitum: numerus etiam denarius, exempli causà, adiectione vnitarum potest sine fine augeri, maiorque fieri. Verum aduersus hanc solutionem procedit prioris difficultas; ea nimirum, quæ est priori loco proposita: nam ita nequaquam debuisset Aristoteles, aut cum eo ceteri philosophi statuere proprietatem quantitatis esse, quòd sit finita, vel infinita, sed quòd simul vtroque se habeat modo; cum nulla sit adeo finita cathegorematicè, quin syncathegorematicam admittat infinitatem.

126 Quocirca germana eius obiectionis solutio est; quantitatem simpliciter infinitam à Deo produci posse, eamque, tum versus multitudinem, tum etiam versus magnitudinem: quæ sententia est plurimum theologorum, ac philosophorum, atque vt verior est à nobis electa in physica, & ex professo non paucis probata argumentis. Qui autem eiusmodi opinionem sequi noluerint, hi respondere possunt cum P. Suarez suprà num. 16. parum ab initio; quantitatem dictam fuisse ab Aristotele finitam, vel infinitam, non absolutè, sed sub conditione, etsi non repugnet in se infinitas simpliciter talis: facta enim hac hypothesi, nec repugnabit quantitati, eamve extrahet à ratione prædicamentalis, & veræ quantitatis. Atque ita sentiunt Durandus in 4. dist. 3. q. 3. Sotus in prædicam. cap. 6. q. 1. Soncinus 5. metaph. q. 15. Iauellus ibid. q. 17. & Nyphus 8. topicorum loco 73. in commentario, alique per plures.

127 Extremæ obiectioni ita potest occurrī. Populus v. g. grex, acervus, seu cumulus lapidum, aliarumve rerum est vera quantitas discreta, atque hanc speciem, ac destinatam essentiam suo sibi iure vendicat, at non merito alicuius vltimæ vnitaris: haud enim eiusmodi collectiones, aliæve id genus prout tales prima, vel vltima vnitate clauduntur, numerice rationem induunt: quin namque numeretur grex, suam nihilominus retinebit essentia. An enim Virgilianus ille pastor, nisi diceret; *mille mihi sculis errant in montibus agnae*, propterea pauciores esset habiturus, gregiū sui iacturam pateretur aliquam: Similiter populus, & acervus, quamuis non redigantur in numerum, quot sunt esse

M 3 non

non desinent. Pari ergo ratione multitudo infinita, tametsi prima, & vltima destituatur vnitate, nihilominus erit in genere quantitatis, eiusque vera, ac destinata species. Minor, & consequentia sunt perspicua. Maior suadetur: tum quia nisi complexiones illæ rerum sint quantitas discreta, eiusque determinata species, cuiusnam alterius erunt? tum etiam, quia id discretè tradit præter alios Richardus Victorinus tractatu exceptionum capite septimo: *Quantitas alia discreta, quæ multitudo dicitur vt grex, populus: Alia continua, quæ magnitudo appellatur, vt arbor, lapis.*

128 Occurri quoque secundò potest eidem obiectioni, hunc in modum: quod est in numero vltima vnitas, id est in multitudine innumerabili vltimæ defectus vnitatis, & super quamcunque alia vltior. Quare, sicut claudi vltima vnitate numero determinatam ac certam quantitatis speciem tribuit, ita & multitudinè infinita nulla è contrario concludi omnique carere. Sic accidentis essentiam determinat inhærentia: contra verò substantiæ perfectas siue carentia quadam inhærentiæ: sic etiam creaturæ speciem tribuit eiusque est essentialis differentia, quam habet dependentia ab alio in genere causæ efficientis: contra verò Dei est differentia, quod sit à se quodve independens ab alio.

129 Enimverò superiori argumentum duas alias solutiones à nostris diuersas adhibent alij. Quidam namque cum Rubio in prædicam. cap. 6. quæst. 12. à numero 260. censent, magnitudinem infinitam, si daretur, futuram esse veram quantitatem; secus verò multitudinem: videlicet ob rationem argumenti contrarij, quæ nimirum in hac, non verò in illa militat: haud enim magnitudo infinita constat vnitatibus, sed partibus continuis & integralibus, quæ essentiam rei non variant, cum tamen multitudo infinita, non secus ac numerus, coalescat vnitatibus, quæ quidem essentiam ac speciem mutant, & quod consequens est, constituunt, ac determinant, prout earum aliquæ sunt primæ, & postremæ aliæ, vnde frequens est inter auctores Aristotelem hoc tenus sequentes species esse sicut numeros. Quamobrem, inquiunt, cum in multitudine infinita non sit vltimam reperire vnitatem, ea profectò nullam habere poterit determinatam essentiam.

130 Contra tamen primò: quoniam, vt multitudo finita siue numerus determinatur, & speciem accipit ab vltima vnitate, ita etiam magnitudo finita, siue figura ab extremis suis, videlicet linea aut superficie, qua continetur, vna vel multiplici: illa quidem, si sit figura plana: hac verò, si sit solida: atque vti sublata vltima vnitate variatur essentia numeri, ita sublata linea, vel superficie terminantibus figuram, huius oportebit essentiam variari: nihilominus magnitudo infinita nullaque linea aut superficie circumscripta desinet esse figura, non tamen vera quantitas continua: similiter ergo multitudo infinita nullaque vnitate terminata desinet esse numerus, non tamen vera quantitas discreta. Quocirca, sicut quantitas continua, prout talis, est essentialiter eadem, siue sint plures siue pauciores eius partes, tantumque est integraliter diuersa in vno, & altero statu: ita similiter quantitas discreta, quatenus talis, est eadem essentialiter, non tamen integraliter, prout adduntur, vel subtrahuntur ei vnitates. Contra verò, sicut subtractio aut additio quarumcunque partium figuræ variat essentiam, ita & vnitatibus quibusuis additis vel subtractis numeri variatur essentia. Proinde in eo hallucinari mihi videntur auctores hi, quibuscumque, quod quantitatem discretam, ac perma-

nentem non aliam quam numerum agnoscant, vel certè huius atque illius parem esse rationem existiment; cum tamen contrarium & suprà ex Richardo Victorino sit ostensum, & modo etiam liqueat ex quantitate continua, quæ nec recurrit cum figura, nec eius latissimè fusa morem sequuntur, & discretis, contra secundò: quoniam si non esset par ratio, atque æqua conditio magnitudinis ac multitudinis infinita, maxime propter argumentum contrarium suprà postremo loco nobis obiectum: at quod illud nullius sit momenti, bifariam est probatum: haud igitur erit magis momentosa discriminis ratio inter vtramque adducta quantitatem. Et quidem eam non esse admitteendam, & plerique auctores supponunt, & discretis, conceptisque verbis tradit Aueris q. 18. Log. sect. 1. §. *absolutè tamen.*

Nonnulli secundò respondent, non solam vltimam vnitatem, sed ex æquo quamuis aliam, siue sit prima, siue intermedia numeri determinare essentiam, ac speciem: quare si numero senario, verbi gratia, subducatur prima vnitas, si secunda, si tertia, si quamuis alia, senarius non remanebit, sed alius minor. At multitudo infinita suas habet vnitates, easque intrinsecè cohibet: earum ergo munere poterit fortiri determinatam quantitatis essentiam, quantumlibet postrema careat vnitate. Contra tamen primò, quia numeri essentiam, si minus vltima solùm vnitas; at certè vel illa, vel prima, aut aliqua intermedia determinat, vel, vt verius dixeris, omnes ex æquo: atqui in multitudine infinita nec esset vltima vnitas, nec etiam prima, aut intermedia: non prima, quoniam omne primum strictè sumptum est respectu alicuius vltimi, cum hæc duo sint correlatiua iuxta omnes: non intermedia, quoniam medium est respectu extremorum, definiturque, quod ab eis æqualiter distat: multitudo autem infinita careret extremis, prima videlicet, & vltima vnitate: ergo & intermedia.

132 Contra secundò: quoniam si à numero senario (par autem est ratio cuiusvis alterius) auferatur prima vnitas, ceteræ omnes retrorahentur, & quæ erat secunda, fiet prima, quæ tertia, ea secunda, quæ quarta, similiter tertia, quæ quinta pari ratione quarta, & quæ sexta, tandem quinta. Idem erit visere in subtractione, non primæ vnitatis, sed secundæ, aut alterius alicuius: nam vbique ad eam fiet retractio ceterarum: semper ergo variatur essentia numeri subtractione solius vltimæ vnitatis, & non aliarum: magis ergo est, vt illa, quam alia vlla, numeri essentiam, speciemque determet. Declaratur: vnitates anteriores numeri, quamuis materialiter subtrahantur, non tamen formaliter, ac prout earum vna est prima, & alia secunda, & alia tertia, & sic reliquæ: idem enim earum ordo factus, & rectus manet beneficio retractionis nuper explicatæ: atqui vltima vnitas auferitur non materialiter modo, sed etiam formaliter: propterea quod nulla supersit, quæ eius defectum suppleat. Quod si resulset varietas numeri, non ex eius diminutione, sed potius adiectione, id ipsum, quod dicimus, clariùs liquebit: nam sola vnitas vltima est, quæ tunc desinit esse vltima, cum tamen ceteræ suum seruent ordinem; & quæ erat prima, talis maneat; & quæ proxima similiter: & sic de reliquis.